


1610.











884/A



IE

nte de la mort.

t les homm
noyent Iesi
te de la mor
peu penetre
oint ceux qu
defaire l'ame;
peut destrui-
ne. Esquelles
monstre quel-
ne. Nous crai-
re la vie. Mais
s oster. Pour-
us? Car la vie
nne. Et s'il est
nens; ce n'est
t les douleurs
nme l'oiseau à
ns supporter
oldat suppor-
re apres loüé
mesme qui est
ns pas estimer
que la corru-
s deuons desi-
ressusciteront
ent ainsi, que
d pour en fai-
e cuiure n'est
s en honneur.
Martyr) puis


P r


3. *Meditation &*

LA chose qu
d'embrasse
Christ & sa Par
Car ceste sienn
en leurs cœurs
tuent le corps
mais plustost c
re l'ame & le c
sacrees Parole
le est en ce poi
gnons la mort
les hõmes ne n
quoy donc ne
est en la main d
question des d
plus la mort q
esquelles nous
voler , & lesq
aussi patiemmẽ
e quelques blé
& salarié. Qua
mis au tumbeau
perdu ; veu qui-
ption & infecti-
ter de perdre. it
glorieux. De se
d'vne masse dei-
e vne belle st st
point perdu , r.
Dauãtage(con is

884/A

66


2



REFRIGERIVM, EX FONTIBVS ISRAELIS DESVMPTVM, ADVERSVS PVRGATORIVM, MELchioris Flavini, Monachi, in quo de ſtatu Animæ, ejuſq; operationibus dum adhuc in corpore eſt, & poſt diſceſſum à corpore docetur. Item de ſepultura, de vita æterna, & inferno, de quibus articulis, Monachus ille orthodoxos, non rectè ſentire, accuſat.

Aliquot Hiſtoriolis ornatum:

Scriptum per Dithmarum Bleſſkenum.



Impreſſum Arnhemiæ Geldrorum, per Iohannem Iohannis. Anno 1610.

Illustribus, Potentibus,

Generosis, & nobilissimis

Dominis

Phrisiæ Occiduæ.

Ordinibus

Patribus Patriæ.

Dominis suis, reverenter colendis.



EVANGELISTA Lucas, cap. 2. scribit Angelos è cœlo, Nato Christo, Deo novo hymno Gloriam, & laudem dedisse. Idque propter summum beneficium, non quidem ipsis Angelis; sed humano generi præstitum, cum verò beneficium tunc datum, ad nos quoque pertineat, alia deinde inenarrabilia nobis à Deo beneficia, & conferantur indies, & collata sint. Valdè concinnum erit, ut & nos propterea Deo Gloriam, & honorem Exemplo Angelorum tribuamus.

Primum itaque, viri illustriss. animadvertendũ, quid sit Gloria vera, & honor.

Est gloria, verum judicium de alicujus excel-

lenti virtute, de recte factis, vel præclarè meritis ergà amicos, patriã, rempublicã, aut quosuis alios, qui cum calamitosi & injurijs oppressi essent, alieno beneficio, defensi, & liberati sunt.

Cicero dicit Gloria est, consentiens laus bonorum, incorrupta vox, benè judicantium de excellenti virtute.

Vt Gloriam meretur Auraicæ princeps GWilhelmus, quod cum hæ regiones à tyrannis occupatæ erant, & dura servitute oppressæ, ipseque princeps exularet adjunctis sibi civibus exulibus, singulari & animi, & corporum fortitudine, haud magno exercitu, tyrannos vicit, cives profugos revocavit, leges, sacra, & libertatem restituit. Propter hanc liberationem, quæ & patriæ, & pressis civibus salutaris fuit, princeps (piæ memoriæ) publicæ libertatis vindex, omnium bonorum, immortalem apud posteros Gloriam meretur.

Hanc verò tam insignem principis, ergo nostrã hanc patriã pietatẽ, & fortitudinem verè heroicã, sequitur gloria, hoc est consentiens bonorũ laus, & honorificum testimonium, quo id beneficiũ, approbant & prædicant, ipsumque benefactorem, magno favore laudibus in cœlum efferunt.

Sic vetus Græcia, Gloriam tribuit Herculi, Alexandro, cæterisque Heroibus, dum perspecta illorum fide, & magnitudine animi in propulsandis injurijs, & defendendis innocentibus, admiratur

tur eos, ornat varijs titulis, defenſores, depulſores malorum, & neſcio quibus nominibus conſecrat; æternitati eorum memoriam, decernit illis divinos honores.

Neque vero poteſt gloria dici, cum ignavi & nulla virtute conſpicui, aut etiam crudelitatis, aut flagitiorum nomine, infames, vel metu, vel turpi adulatione fictitijs laudibus ornantur, atque falſis titulis, falſæ Gloriæ prædicantur, quæ Gloria ſubitò ſicut fumus, ac nebula diſſoluitur. Sed vera gloria radices agit, & eſt virtutis fructus, cujus cum pulchritudo & ſplendor cernitur, tantam ſui admirationem, in optimi cujuſque animo excitat, ut dignum veneratione, & benevolentia judicet, & præmijs ampliſſimis ornandū putet. Manet igitur fixum nobis, Duo hæc ad perfectam Gloriam requiri.

Alterum eſt, ut egregia virtute, & præclaro aliquo facinore, & meritis bonorum animos tibi devincias: alterum conſentiens laus bonorum, & comprobatio facti, ſtudia bonorum, & voluntates, quæ omnia, virtutem, tanquam vmbra corpus ſuum ſequuntur.

Iā verò cū Angeli Deo gloriā canūt videndū, quænā ſint illa beneficia, quorū admiratione, & lætitia celeſtes illi ſpirit⁹ manifeſta ſpecie apparētes, Deū laudāt: Sunt quidē immenſa Dei beneficia, ipſa rerū creatio, & pulcherrima mundi corpora, jucun-

dissima varietate distincta, & certissimæ leges, motuum cælestium, nec non illa notitia honestorum, & turpium in hominū mentib⁹ lucens: Item conservatio, & sustentatio naturæ conditæ, & quod Deus quotannis fœcundat terram, profert fructus ex terra, impertit animantibus vitam, & motum. Hæc tam admiranda Dei opera sunt vestigia divinitatis in natura, quæ inspecta & considerata, nos admonent, de Deo, de præsentia Dei in natura, de infinita sapientia, & bonitate.

Sicut Paulus Atheniensibus dicit. Acto. 17.

Deum ita propè adesse, ut penè manibus contrectari possit. Ac videmus non paucos, apud Ethnicos, quanquam cœlestis doctrinę rudes, tamen cōspectis cœlis & motibus cœlestibus, ratiocinatos esse mundum non casu extitisse, sed ortum esse, & regi ab æterna mente: Ideoque constituisse, hanc mentem conditricem, & conservatricem rerum colendam esse, eique tanquā bonorum fonti omnia accepta ferenda esse.

Fatendum igitur est omnino hoc mundi opificium, creationem ac conservationē rerum, & perpetuum ordinem in natura, cæteraque orbis miracula, mirifica Dei opera esse, quæ convincunt animos, non solum infinitam esse creatoris potentiā, verumetiam mimensam esse illius bonitatē, quod res à se conditas cōtinui hominum saluti inservire velit, quodque hujus sui admirandi in natura

ordinis

ordinis intellectum, hominibus impressit, ut eos ad cognitionē suę originis, atq; immortalitatis invitarent. Sunt inquā hæc suspicienda ac immensa Dei beneficia, quæ meritò nos excitare ad admirationē, & gratitudínē dedebant, ut celebrarem⁹ beneficia Dei, & Deo debitam tribueremus gloriam.

Sed illud opus, quod Æternus pater, misso unigenito filio in mundū, æternū ac inmutabile fæd⁹, cū generi humano ficit & hoc præciosissimo velut pignore dato clarè testat⁹ est, se verè curare ac diligere humanū genus, multò admirabilius este lōgè quam cætera miracula omnia. Cujus enim humanæ mentis tanta unquam fuit acies, ut scrutari posset copulationem Diuinæ, & humanæ naturæ filij Dei, qui se dejecit in hanc ærumnosam naturam, eamq; assumpsit immutabili fœdere, & collocavit supra Angelos, ut regnet divina potentia, & moriens aboleat mortē, & restituat vitā æternam.

Hoc igitur tam arcanū, & inscrutabile op⁹ Dei, cum sit susceptum, ad liberationē, & ad æternā salutē hominū. Angeli penitius intellecta beneficij magnitudine, gratulabūdi generi humano prædicant, & celebrant misericordiā Dei, tribuunt pro immensis meritis Deo gloriā, hoc est verè sentiūt, (idq; voce declarant) inenarrabile Dei beneficium esse, quod De⁹ Pater misso unigenito filio in mūdū, qui assumpta carne de virgine maria, homo factus, nos miseros, & damnatos homines in gratiam

receperit, peccata remiserit, nosq; servitute diaboli liberatos, Hæredes sui regni fecerit. Quis vero huj⁹ beneficij magnitudinē pro dignitate satis prędicet?

Dono datus est generi humano, non Propheta, nō Angel⁹, sed filius Dei, ab æterno, per quē, & in quo omnia sunt cōdita, qui est splendor, & imago Patris, autor & donator vitæ æternæ, qui regnat supra omnia Deus, æquali cum Patre, & spiritu sancto potentia, in sæcuâ. Hic inquam filius Dei, Dominus noster, & liberator, Ihesus Christus, cujus infinita potentia, incōpræhensibilis majestatis est, natus de virgine Maria verus homo, Frater noster factus est. O admirandam humiliationem, qua Deus de divino majestatis solio, in humani generis ærumnas se dejecit.

O fœlicissimam humani generis conditionem quod suæ naturæ consortem nanciscitur unigenitum Dei filium Ihesum Christum.

Ac debebat quidē hæc res nos ingenti lætitia afficere, quæ nos quoq; ad ardentissimā gratiarū actionē invitaret, quod scilicet nobis sit datus filius Dei, ut per illum solū peccatorum remissio nobis contingeret. Quemadmodū quoq; in suo verbo, hæc nobis per Prophetas suos, imò per seipsum pollicetur, quod & omnes pij tam in veteri, quā in novo testamēto sunt assequuti, deditq; omnib⁹ in se credentib⁹ potestatem, ut Dei filij esse possint.

Sed ô rem miseram, acerbam, atque deploramdam,

dam, nam diabolus, Atrocissimus Dei & omnium in Dei filium credentium hostis; non passus est hoc postremo sæculo hanc de filio Dei doctrinã, hanc in disputationibus conscientarium consolationem, integram manere, sed homines in densissimas tenebras, idololatriamque multiplicem, planeque Ethnicam, per papatum coniecit, veramque de Dei filio doctrinam obscuravit.

Quantæ vero fuerint tenebræ, quibus homines sunt involuti per pontificios nulla est eloquentiæ tantavis, quæ pro dignitate hoc explicare possit.

Neglecto enim Ihesu Christo, qui ad hoc à patre nobis est datus, ut ille solus sit mediator, intercessor, ac depræcator, cujus rei Angeli tantopere lætantur, quod Deo gloriam tribuant: ad matrem Ihesu Christi, ad sanctos suos, & demortuos discipulos, planè contra Dei verbum, populum ablegavit pontifex.

Et ut videat posteritas, quo fuerit delapsa religio Christiana recitabo quædam, ad quę papa sua vota facere solebat, suisq; idẽ ut facerẽt, præcepit: suntq; in eo numero, præsepæ, cunæ, linthea, præputium, sanguis Christi, partim purus, partim aqua dilutus, hydriæ nuptiarũ in cana: vinũ quod ex aqua fecit Christ⁹, supellex vltimæ cenæ, quã habuit Christ⁹ cũ suis discipulis. Manna Israelitarũ, crux, calamus, spõgia, claui, lancea, corona spinea, vestis, calcei, sudariũ, lachrimę Christi, lac, interula, capilli, cingulũ

crepi-

crepida pectines, annul⁹ Mariæ virginis, pugio & clype⁹ Archangeli Michaëlis, occiput, Mandibula, digit⁹ Iohannis Baptistæ, cathedra, pedū, missaria vestis, cerebrū, Petri Apostoli; corpora triū Regū, prætereaq; multorū divorū corpora, varijs in locis eadem.

Hodie etiamnū Brabantini peccatores, ad cōsequendā peccatorū remissionē ad statuam quandā Mariæ in Scharpenhóvel, ad Mariā Hallensem, ad sanguinē anguillariā in Boxtel, mittunt, magnaq; Hollandorū pars quotannis in Boxtel proficiscitur qui animarum non solum salutē, sed & corporū, incolumitatem se ibidem cōsequturos somniant. Sed dices, fiunt ibi aliquando miracula, quæ veritatē doctrinæ arguunt, statuarumq; sanctimoniam, quare Reformati ejusmodi ad confirmandā eorū doctrinā non faciunt? Respondeo His, non necesse est quia nō novum doctrinæ genus adferunt, sed quod antea Prophetarū, Christi, & Apostolorum miraculis est confirmatū: quibus qui non credūt, nec si quotidie innumera fierent miracula credituri erant, sicut nec scribæ, nec Pharisæi, nec pontifices, tempore Christi, & Apostolorū, cum subinde stupenda fierent miracula, mouebantur ut Evangelio crederent, illudque amplecterentur.

Et Antichristi nota est, ædere miracula 2. Tessa. 2. noluit autē Deus opponere miracula miraculis, sed ut ibidē habetur, spiritu oris sui ipsum occidere,

id est

id est verbo Dei detegere ipsum, ejusque errores refutare, & sic gladio spiritus, ipsum in piorum pectoribus occidere, ne amplius eum pro Christo, sed sathanæ vicario, & Antichristo agnoscāt & habeāt.

Suntq; illorum miracula (si quæ sunt) opera, arte & industria sathanæ, vel ipsius instrumētorum, facta, vel fieri visa, ad confirmandā impiā doctrinā, superstitionē, & cultus, Deo ejusq; verbo contraria, ad seducendos homines, & in errore retinendos, fiuntq; à Diabolo immediatè, vel mediatè per magos, Pseudoprophetas, incantatores, maleficos, & alia consimilia sathanæ organa, vel etiā confinguntur, aut fallacia humana fiunt.

Revera quoq; fieri non est dubium. Nā scriptū est: Deut. 13. si surrexerit in medio tui Prophetes, & prædixerit signum, atque portentū, & evenerit quod locutus est. Et Math. 24. surgent Pseudochristi, & Pseudoprophetæ, dabuntq; signa magna & prodigia, ut si fieri posset, in errorem ducantur electi: & 2. Tess. 2. Adventus Christi, est secundum operationē sathanæ in omni virtute, & signis, & prodigijs mēdacibus, & in omni seductione iniquitatis. Sunt itaq; miracula pontificia meræ diabolorum præstigiæ, & illusiones, & sicut diabolus mendax est, & Pater mendacij, sic quoque ejus miracula.

Deinde, vide illorum præces publicas, quas litanias, vocant, in quibus omnes sanctos, ut pro ipsis ad Deum intercedant invocant, quod solius domini no-

ni nostri Ihesu Christi opus est, Monachi quoque sanctum quẽ vocant franciscũ, dominicũ, quoq; tanquã salvatores habent, perinde ac si Christus mortuus adhuc in sepulchro jaceat.

Sunt præterea multi & varij modi consequendi remissionẽ peccatorum, & merendi vitam æternã, ab ipsis excogitati, per propria, & aliorum opera, Eleemosinas, scilicet, jeiunia, peregrinationes ad sanctorum quas vocant reliquias, & præcularum sine intellectu recitationes.

Hinc multa monachorum examina acceptis mundi opibus, sua opera, quæ supererant ad illorũ salutem alijs vendicabant.

Hinc herrẽdæ cænę dominicę profanationes, missarumque nundinationes, pro viuis & mortuis.

Hinc totus penè Christianus orbis, omnesque ejus anguli, in vijs, in compitis sub frondosis, ac patulis arboribus missarum nundinationibus sunt repleti, adeòque, de omnibus sacræ doctrinæ locis veritas obscurata fuit, ut inhil ferè purum remanserit.

Taceo alia innumera, de reliquijs divorum mole, de ciborum & conjugij prohibitione, atque ab usu clavium, ad mundi thesauros exhauriẽdos venerunt, ita quidem, ut cœlum, ipsumque Christum venalem exponerẽt. Quemadmodũ burgis in Gallia, in tabula quadam, juxta altare, in quo Cardinales missificare solent legitur, atque inter cætera

quæ

quæ ibidem leguntur, hæc quoque sunt.

Nam pro mercede, Christo dices mihi cede, hic datur exponi, Paradisus venditioni sicque in totum huc laborarunt, ut deposito Christo, unico nostro salvatore de suo loco, ac officio (qui gloriam illi soli debitam, alteri se daturum negat) alterum in suum locum substituant, opera scilicet illorum putrida.

Si quis hic rectè judicare voluerit, is sanè intelliget, verè aureum esse hoc nostrũ seculũ, quo Deus nobis benedixit omni benedictione spirituali, cœlestium bonorũ per Christũ, notum nobis faciens mysterium verbi, absconditum multis, retro seculis, & generationibus, nunc autem manifestatum sanctis ejus, quibus Deus voluit notas facere divitias gloriæ sacramenti hujus, in gentibus, quod est Christus in nobis, spes gloriæ quem annunciamus.

Gratis igitur animis agnoscendum est donum, quod Deus in hac postrema mundi senecta, illa dona, quæ filius Dei se daturum psal. 68. promiserat, atq; Paul⁹ Ephe. 4. post, suam de hostibus victoriã & triumphum misisse testatur: Prophetas, scilicet, Apostolos, Evãgelistas, Pastores, & Doctores: quorum opera, & ministerio sacrosancta scriptura, divinitus inspirata, ejusque verum & genuinum sensum, accensa luce verbi sui, per vos viri illustrissimi perque vestrum pium zelum, ab omnij

impu-

impuritate vindicavit,& religionem veram jam o-
lim collapſam,& depravatam, rurſus ab omnibus
ſordibus repurgavit.

Porro quemadmodum Deus olim ſuo populo
ſubinde pios reges,ut Ioſiam, Ioſaphat,& Hiskiam
excitavit,qui collapſum religionis ſtatum, convo-
catis tribubus Iſrael,inſtaurarunt,ita quoque Deus
immenſa bonitate ſua, & hodie, Illuſtriſſimorum
veſtrorum ordinum, animos excitavit, inclinavit,
& flexit,ut ſingulari Dei providentia, & pio zœlo
detectis fraudibus & impoſturis, Eccleſiarum curã
ſuſciperent,& expurgatis erroribus, ea quæ ad de-
clarandum pium conſenſum,& concordiam in ea,
atque doctrina religionis ſincera, ſeriò cogitarent,
nihilque intentatum relinquentes facererent.

Subegiſtis illuſtriſſimi viri, aliquot Provintias
gladio, inque veſtram poteſtatem redegiſtis, unde
laudem nominis, & gloriam veram ad omnẽ po-
ſteritatem eſtis conſequuti, ſed quantò pax una,
triumphis innumeris eſt potior,& quantò cæleſtia
terreſtribus,ſpiritualia,corporalibus, æterna cadu-
cis præſtant. Tantò præclarius eſt viri illuſtriſſimi
hoc,quod eliminatis erroribꝰ ex veſtris provintijs,
quibus Eccleſia Dei deformata erat, adque ad pu-
ritatem verbi divini in ea retinenda, vos, vos in-
quam laboratis. Hic cultus, hic labor Deo eſt gra-
tiſſimꝰ longè, benedicetq; juxta promiſſionẽ ſuam
veſtris ſanctiſſimis conatibus magis,ac magis.

Licet

Licet autem non omnes, qui ſub veſtra ſunt tutela viri illuſtriſſimi, hunc veſtrum, laborem, hanc curam, & diligentiam, gratis accipiunt animis, neq; vobiſcum, neque cum Evangelij miniſtris & alijs pijs, veritatem in doctrina Evangelica amplectuntur, ſed idola, miſſas pontificias, doctrinaſque papiſticas, Ieſuiticas, & Anabaptiſticas ſequuntur, attamen voluntas veſtra eſt laudanda, deoque in primis grata.

Volui autem hoc meum ſcriptum, quod contra Melchioris Flavini Monachi de purgatorio librum feci, ſub veſtro patrocinio in lucem emittere. Non quod hoc meo labore, veſtris laudibus aliquid accedere poſſe exiſtimem. Dona tamen literaria ejuſmodi ſunt, ut honeſtam, & immortalem famam virtutum eorum, quibus dedicantur, quiq; benè de Eccleſijs Dei ſunt meriti, ac docentium, in ea, ſuis officijs, ſuaque liberalitate foverunt celebrant, ad omnemque poſteritatem tranſmittant.

Præcipua vero hujus dedicationis, illuſtriſſimi viri eſt gratitudo. Nam ante annos 22 ſub veſtram me dedi tutelam in propugnaculum Oterdum, veſtroque ſtypendio ibidem, ætque in Rheida ſeptem fere annos Evangelium docui, etſi vero in Oterdum non ſine periculo, tam propter vicinum hoſtem, quam propter ſęviſſimam luem fuerim, jucunda tamen nunc eſt anteactorum malorum memoria. Deum. opt. Max. præcor, ut veſtris

ſanctiſſimis conſilijs faveat, ad ſui nominis gloriā Eccleſiæ ædificationem, & patriæ ſalutem, Amen.

Ad lectorem.

Oblatus mihi eſt nuper amice lector, libellus à Monacho Franciſcano, papæ pænitentiariò Gallicè ſcriptus, de animarum poſt mortem ſtatu, in quo purgatorium ignem, ex Æthnicis, Mahometiſtis & Iudęis probare conatur, eſtque is liber refertus blaſphemijs in Deum & orthodoxos, atque mendacijt & fabulis ridiculis plenus, is inquam liber à papicolis, tanquam ſacroſanctus habetur, & legitur, ego igitur animabus contra hunc purgatorij ignis metum, Refrigerium, non ex lacunis papæ, ſed ex fontibus Iſraëlis deſumptum exhibeo lege igitur, & fruere, cum judicie vale.

In

In Refrigerium, Dithmari Bleffkeni.

Iohannes à Diepenbroeck.

Est aliquid magni, verbum legiſſe Tonantis
Et noviſſe boni iuſſa verenda Dei.
Aſt maior virtus, & multa laude ferendus
Qui nouit valida, ſcribere lecta manu.
Vt Dithmare facis, vitæ qui tempora cuncta.
Egiſti in ſtudÿs, pieridumq́; choro.
Attamen haud unquam tibi captabantur honores
Nec tibi quærendi nominis ardor erat.
Ardor erat celebrare Deum, qui cuncta gubernat
Spernere contra illos, qui ſimulacra colunt.
Quod ſatis ex factis conſtat, nam tempora longo
Voce oppugnaſti, condita ſacra dÿs.
Nunc quia debilitat, tibi vocem tarda ſenectus
Scriptis oppugnus, qui ſimulacra colunt.
Qui ſimulacra colunt, illos & ducere quærunt
A ſemita veri, qui pia corda gerunt.
Vt deflere ſuam, ſupremo tempore vitæ
Dicitur ore necem, flumina cygnus amans.
Sic Dithmare facis, longis conſumptus ab annis
In terram tacitum, ne tibi funus eat.
Pontificis ſi quis nugas, & noxia verba

*1 Quærit,

Quærit, eum moneo, ſcripta quod iſta legat.
Hic papæ mores ſcripſit, ſcripſitq́ſ ſuaue
Hoſpitium papæ, quo petit ille polum.
Non tamen has nugas laudat, ſed damnet eaſdem
Indicat & ſanctum, falſa docere patrem.
Fœlices animæ queis noſcere contigit iſta,
Et quibus in cælum, ſcandere cura fuit.
Hunc quare librum perueſtigate legendo
Qui fertis vanis, thura merumq́ſ Dijs.
Hunc librum quoties Dithmari voluitis omnes
Dicetis, papæ, nil niſi ficta canunt.
Linquite peruerſos mores, diſcedite Roma
Namq́ſ ibi cum ſacris, venditur ipſe Deus.

In

In Refrigerium Dithmari Bleffkeni.
Iulius Lysius.

INstar apis siculam lustrancis Floribus Ennam
Melli fluo gnaro reditu sibi munere mellis
Bonibilat ore legens: tu sic Dithmare pusillis
Abdita corticibus, dicta, & monumenta recondis
Impiger exsurgens, sacrosq; priscosq; lepores.
Nec dum parta quies, & adhuc studiosus anhelas
Fruge cleantæa, producere, semina mentis
Ausus ad eximiam literarum ascendere culmen
Bellerophonteum degustans doctus humorem
Qui nouit excultos cordis formare recessus
Quiq; jubet doctam musarum tendere ad undam
Sola potest humiles ima de stirpe creatos
Qua magnos inter caput extulisse per artes
Lætificæ fortisq; bona, & superaddere cultum
Dotibus ingenium, nomenq; decusq; perenne
Vltra ausus gelidam, Tulen decurrere poppi
Clausus ubi obscuris, sevus Rex Æolus antris
Ignivomi inquirens Heclæ penetralia montis
Posteritas cur læta satis, docta est & tempora circum
Peneias nexam referat, de fronde coronam
Nec dum parta quies, & adhuc magnalia pastor,
Æterni recitas concinna voce parentis
Hoc opus hic labor est, mediisq; in fluctibus alti
Æquoris, æthercam Christi tolerare saburram

 Peruigil,

Pervigil, in somne est vitiunt stygiusq́; tyrannus
Mundus & abruptis, Christi furit ecce lupatis
Agmina malorum: nihil hæc tu, cuncta facessant
Stas animo invictus senio confectus amæno
Dogmata Flavini Monachi monumenta refutas
Sancta colubrinis, quæ Christi dicta venenis
Inficiant obsuntq́; Dei (mala maxima) honori
Sancta doces Dithmare *& pura voce, lepores*
Si tibi deficiant: calamusq́; animusq́; perurget
Assiduo Æthereas Domini *depingere laudes.*



An-

Andreas Honter Scotus.

Flavinum errantem, & per deuia quærere cœlum
Fortè hic Dithmarus vidit & obstupuit.
Per fumos, ignesq; Æthnamq; Heclamq; vagantem
Torquere, & Monachi, somnia fessam animam.
Dithmarus Rasiq; hominis Turbæq; misertus
Papicolæ, his cælo (credite) pandit iter.



ALIVD.


HVc quicunq; Dei sacrata volumina puro
Indicio tractare studet, tui cœlica saltem
Gaudia sunt curæ nunquam labentia cordis:
Hocq; Refrigerium dissolvens vincula rectæ,
Romano prolata sinu legat, anxia mentis
Sanguinis Herculei quassantia vincla vigorem.
Anne superstitio verbis aliena tonantis
Praualet hæc? velare pudet sacra dogmata nostrum
Mandatis hominum, nugis speciosa tegendo.
Quod nequit ignis edax nec edet nisi guttula Christi
Vnica, perpetuæ contundens spicula mortis
Armaq; rapta Ioui stygio, licet irruat orcus
Nos phlegethonhteis addictos liberat undis.
Hanc igitur stolidè quadam inclarescere pœna
Vellus? cum Christus condigna morte redemptos
Nosq; secuturamq; bearit sanguine prolem.
Novimus hausta pijs quæ sint solatia libris
Electis ubi mors placido deterrima somno
Cantatur similis, nullo phantasmate pressæ
Optatæq; diu jucundaq; porta quieti.
Tartarius phlegethon, seu purgatoria summos
Contrà protrudunt torquendis ficta dolores
Stamen ut abrupit parcarum machina vitæ.
Ergò quid referam? nivei num scandere cœli
Lucida tecta velis ocreis calcaribus arctis
Indutus? decet esse nitens quod splendet in ævum.
Sufficit alma patris peccato guttula gnati
Confiteor: manet ira tamen purganda barathro
Illius! hanc nullum deinceps sentire? negamus
Sordida cum lambant cunctorum pectora flammæ.


Sic

Sic qui ſumma tenent rerum faſtigia Reges
Sontibus ex putrido laxatis carcere nuper
Cernis adhuc duro pœnarum ſtigmate pungi.
Eſto, grauis Chriſto linquatur pœna redemptis
Non tamen hinc ſequitur remanere piacula diram
Talia poſt mortem purgantia viſcera lapſi:
Vel modò præſenti vel corrigit ille futuro
Tempore, reſtantem perſentiſcamus ut iram
Iupiter: aſt durant venientia ſecula in omne
Ævum, cum ſtygias dicant tranſire paludes
Iuſſa hominum, perit hoc cruciando faucibus antrum.
Quarè, quod ſupereſt, infligitur ultima Patre
Pœna Deo miſeris præſenti tempore ſolum.
Sic Dithmare tuis animarum pergito ſcriptis
Funditus agninos hos confutare latrones
Et violatores precioſi ſanguinis, huge
Cœlitus allati vincas fundamine verbi.
Vincens ſtraminias monachorum rumpito tricas
Illorumq́ꝫ vorax confratrum evertito abenum
Concedente Deo longos tibi Nectoris annos.

Henricus Stapelius Iunior.







DE ANIMA HOMInis quid sit.

CAP. I.



Ravissimè à Christo, Mar. 8. dicitur quid prodesset homini si lucratus fuerit totum mundum, & animæ suæ jacturã fecerit, his verbis Dominus noster, sapientiss. indicat. Animam sciliter potiorem hominis esse partem, quam singulario studio vt servemus, ac ad alteram illam perpetuam felicemq; vitam vt veniat studeamus.

Igitur principio quid hæc anima, quæ nobis tãto studio à Domino, nostro commendatur, vt. ex diversis authoribus Christianis & Echnicis dicemus. Nam, (vt *Cicero lib.1. offici.* dicit, omnis quæ à ratione suscipitur de aliqua re institutio debet à definitione proficisci, vt intelligatur quid sit id, de quo disputatur.

Constat vero Hominem constare, ex anima & corpore

corpore, sed de corpore hic nobis, non est dicendum, verum, de potiore parte de anima scilicet. Quam Augustinus lib. definitionum, ita decribit.

Anima hominis, est substantia creata, invisibilis, immortali Deo simillima, imaginem nullam habens nisi creatoris sui.

Hermes in Pœmao dicit, Anima est vestimentum corporis sui, vestimentum autem animæ est spiritus quidam, quo illa connectitur corpori. Mēs vero id propriè est, quod hominem appellamus videlicet animal, divinum quod cæteris animalib⁹ nullatenus, at Dijs ipsis rectissimè comparari potest, nisi & excellere dicatur etiā, cælites enim descendere in terram, non possum, nisi relicto cælo, Homo licet in terra consistat, metitur Cælum, itaque homo terrestris veluti mortalis Deus est, Deus Cælectis tanquā immortalis homo.

Hanc Aristoteles lib. 2. de Anima, ita definit. Anima est principium quo vivimus sentimus, & intelligimus, nutrimur, & secundum locum movemur, primum.

Lactant. in lib. de opificio Dei. Cap. 17. Anima quid sit, nondum inter Philosophos convenit nec vnquam hoc facturum esse ait.

Nos vero ex sacra scriptura, & ipsius Christi testimonio, potiorem hominis esse partem docebimus ipsamque esse hominis vitam à Deo homini infusam, vt Gen. 2. Moises decit Deum hominem

ex tercæ massæ creato, inspirasse spiritum vitæ cum vero immortalis sit, præcipit ipse Christus, vt diligenter caveamus ne hæc præstantissima hominis pars detrimētum capiat. Nam permulti repeciuntur qui Animam mortalem esse credunt, etiamsi verbis id non fateantur.

Nam impius, vt ait hierocles. Cap. 10. Animam suam vult esse mortalem, ne scelerū suorum pœnas luat. At judicis sui sententiam antevortit, quia sese ipse morte condemnat.

Animam vero immortalem esse probatur ex Exod. 3. & 22. Cap. Math. vbi Christus Deū esse viventiū ait. Nam Abrahæ Isaaci & Iacobi corpora, & sepulta esse & sacræ testantur literæ, animæ igitur eorum vivere certum est.

Testatur & Historia evangelica, Lucæ 16. divitis epulonis anima post sepulturam corporis, cujus mentio in eo loco fit, in inferno vivit Animaque Lazari in sinu Abrahæ, neque dubium est prophetam Regium Davidem jam æterna vita frui, cujus corpus computruisse docet Paul⁹. Act. 13. immortalis igitur anima.

Quinetiam Philosophi græci idem cum sacra scriptura sentiunt. Phocylides ait Reliquiæ defunctorum postea dij existunt, Animæ enim eorum manent expertes fatis in mortuis.

Idem sentit Zoroastres qui scribit. Anima hominis Deum quasi astrictū habet, & nulla ex parte

mortalis eſt, quia Deo luebruata eſt tota. harmoniã autem illam ſuam in corpore hoc mortali oſtentat.

Epicharmus dicit, Si anima bonus es mors nocere tibi non poteſt, vivit ſpiritus in cælo beatus.

Plato in Phædone. Quæ hic bona putantur, forma, robur, opes, agnatio, perdunt hominem, & deteriorem reddunt nõdum bona ipſa ſunt, igitur nõ poteſt fieri, vt homines in hac vita quamcunque viam ineant beati ſint, ſed in altera haud dubiè qui virtutem ſectati fuerint beati tudinẽ mercedis loco accipient.

Omitto hic poëtarum fabulas de campis Elyſijs, attamen, ex ijs liquit, illos idem de animabus ſenſiſſe.

Prætioſiorem vero Animam corpore eſſe, teſtantur Philoſophi quoque: Nam Hermes Ægiptius Philoſophus ait.

Exue corpus iſtud, quod circumfers veſtimentũ ignorantiæ, fundamentum pravitatis, vinculum corruptionis. Mortem vivam, cadaver ſenſibile, ſepulchrum portatile, domeſticum furem, blanditur quia odit, odit quia invidet dum vivit vita te privat non eſt capitalior hoſtis tibi.

Reperiuntur vero proch dolor qui immortalitatis ſpem ex animo dolore conantur, quia vitam hanc impiè tranſigerunt, in altera impietatis vindicem non eſſe ſibi perſuadent. At anima tunc ex-

per-

pergiſcitur, & tanquam ex profundo emergit, & ob oculos exhibet eis, & repræſentat, quæ tantò labore extinguere conati ſunt, vt qui religionem omnẽ tote vitæ tempore contempſerint eò ferè puncto, quo ſe vertant neſciant & corpore menteque vehementer jactantur adeò quam futuram negarunt vitam eò momento præſentem ſentiant.

Malo, dicebat, Zemo, videre indum Rogum vltro, & celacriter aſcendentem quam quos vis Philoſophos de animę immortalitate audire diſputãtes, & hoc rectiſſimè, eſt enim ſyllogiſmus inconcuſſus, dicamus & nos, malo videre, & audire, furẽ, aut lacronem immortalitatem animæ, dum morti eſt proximus ſua confeſſione, aut ex paribulo Deum, cujus Majeſtatem læſit pro venia deprecantẽ, quam omnes doctores è ſuggeſtu pro eo docentes audire. Quod enim illa hora dicunt. ſobrij & jeiuni, loquuntur, quod toto vitæ curſu mundi dulcedine, & voluptatibus inebriati & ſopiti, nugati ſnnt, non ipſi locuti videntur.

Bruta quidem amittunt vitam, & actionem cum ſanguine, effluunt enim ſpiritus, vehiculum vitæ animales organum actus, Anima vero contra colligit ſeſe & dum ſenſus extinguntur conatur ſeſe tantò magis ſuperare, editque jamjam deficiente corpore non minus præclaras, imò præſtantiores & laudabiliores ſæpe actiones, quam toto anteacto vitæ tempore, ſtatuunt de ſeſe, de familia, de repu-

blica, mojore, pietate, ęquitate, prudentia, & moderatione quam antea.

Et profecto si consideras causam creationis hominis, intelliges hominis animam immortalem esse. Nam ad vitam æternam habendam in qua Deum cognoscere laudare atque glorificare debet creatus est, est que hæc vita æterna vt ipse Christus. Iohan. 17. docet, vbi ait hæc est vita æterna vt te verum Deum, solum, & quem misisti filium tuum Ihesum Christum cognoscant. Atqui hanc plenariam Dei cognitionem in hac vita non habebimus.

Animam diximus immortalem esse, hujus rei andiamus D. Augustini quoq; testimonia, ac primo lib. de Doct. Christi: O Anima evigila, & si qua sit virtus charitatis, quæ omnia sustinet, domini tui imitare vestigia, considera quot millia martyrum etiam tibi fecerunt viam, transierunt virgines, transierunt Martyres, transierunt pueri, & puellæ, & ad huc times? Quia docet te ille qui est via veritas, & vita, via non errans, veritas non fallens, & nō dificiens, via in exemplo veritas in promisso, & vita in præmio.

Idem confessionum lib. 6.

Væ animæ audaci, quæ speravit, si à te recessisset se aliquid melius habituram versa & reversa, in tergum & in latus & in ventrem, dura sunt omnia.

Ambrosius in hexametro.

Qui

Qui animas rationales immortales esse dubitat alienus procul à seipso est.

Lactant.fir.lib. 7. diuino. institutio.

Quod si Deus est,& incorporalis, & invisibilis, & æternus, ergo non interire animam credibile est, quia non videtur postquam recessit.

Idem.

Polytes quidam consuluit apollinem mylesium vtrum ne anima maneat post mortem an resolvatur? Respondit Apollo his verbis.

Anima quidem quoad vinculis corporis tenetur corruptibiles passiones sentiens mortalibus cedit doloribus. Cum vero humanis solutionem velocissimam, post corruptum corp⁹ invenerit, omnis in æthera fertur, nunquam senescens, & manet in æternum sine pœna, primogenita etenim hoc divina disposuit providentia.

Quanto melius hic apollo de animabus sensit, quam sanctissimus papa, Paulus tertius, qui moriturus, trium si quæstionum veritatem jam experturum dixisse fertur, de quibus in tota vita dubitasset, an sit Deus, an sit infernus & an animæ sint immortales.

Plato has, alij qui cũ illo, vt sunt democritus, Epicurus, & Dicearch⁹ ab initio creatas esse asserunt, atque ex vno post mortem in alium commigrare, hoc posse ait Plato, cognosci, quod in pueris sint ingenia ad percipiendum facilia, quod ea quæ dis-

cunt ita celeriter capiant, vti non tunc ea primum diſcere videantur, ſed recognoſcere.

Sed hac de re audiamus Hieronimi. Epiſt. 38. ad anaſtaſium ſententiam. Alij aſſerunt quod formatis in vtero corporibus, Deus quotidie faciat, & infundat animas, alij factas jam olim, id eſt cum Deus omnia creavit ex nihilo, nunc eas ſuo indicio diſpenſet in corpora, & hoc ſenſu, Origenes, & nõnulli græcorum ſunt. Ego vero cum hæc ſingula legerim (teſte Deo dico) quia Deus eſt & animæ & corporis creator, credo Deum vnicuique in vtero matris animam creare.

Idem ſentit & Zoroaſtres qui ſcribit properandum eſt toto corde ad Deum, qui mentem, vnà cũ vita infundit nobis.

Ariſtoteles item lib. 2. de anima. Non quælibet anima poteſt intrare quodlibet corpus, ſed quælibet anima habet proprium corpus, quod eſt contra Pythagoram, egrediente vero anima ex corpore, corpus exſpirat atque marceſcit.

Neque excedit è corpore humano anima, vt in lupinam commigret diaboli coactione, etſi ex collapſis interdum proſilire lupina ſpecie ſpectra conſpiciantur quemadmodum in lycantropis fieri adfirment.

Nec ſuam corpora formam exuunt, aut mutãt, ſed devinctis illis ſomno profundiſſimo prorſus vt in ἐκςτωσει, animæ non impeditæ, aut diſtractæ mi-

niſterio

regendi corporis, ſed ceu in ſe ſe revocatæ occupātur phantaſmatibus ac ludibrijs eſtietis & immiſſis à Diabolo, de ijs rebus quas interea perficit cū opinione tali, vt ipſæ de impreſſa δοκήσει, ſeu phantaſia videantur facere ea, quæ phantaſmata pingūt ac perſuadent.

De operationibus animæ, Dum adhuc in corpore eſt.

CAP. II.

ARiſtoteles lib. 2. de anima dicit, quatuor ſunt potentiæ animæ principales, vegetativa, ſenſitiva, intellectiva, & motiva, ſecundum locum, hæc ſic ſe habent adinvicem, quod vegetativa poteſt eſſe ſine ſenſitiva, vt in plantis, ſed non è converſo, ſenſitiva ſine motiva ſecundū locum, vt in conchilibus, & non è converſo, & tam ſenſitiva, quam motiva ſecundum locum poſſunt eſſe ſine intellectu, vt in brutis & non è converſo.

Sed omnia corpora viventia hominum, animæ ſunt inſtrumenta, vt omnes docti tàm Chriſtiani, quàm ethnici docent.

Hieronimus contra jovinianum ita ſcribit, ſenſus corporum quaſi equi ſunt, ſine ratione currentes, anima vero in aurigæ modum retinet frena currentium, & quomodo equi ſine rectore præci-

pitãter rũnt, ita corp⁹ ſine ratione & imperio animæ, in ſuum fertur interitum, & certiſſimum eſt, vt Philoſophi dicunt, Animi imperio, & corporis ſervitio vtimur.

Igitur niſi noſtræ animæ prudentia tanquam pædagogi rexerit, omnes conatus noſtri actioneſque, & impetus, ad pernitiem certiſſimam properant.

Gregorius lib. 1. moralium ait, ſic miſerabiliter creati ſumus, vt ratio animam, anima corpus poſſideat, ſenſus vero animæ à corporis poſſeſſione repellitur, ſi non prius anima à ratione poſſidetur.

Ariſtoteles lib. 1. de anima dicit, animæ paſſiones variantur, ſecundum variationem ſeu diſpoſitionem ſui corporis. Macrobius, lib. 7. ſaturnalium ait, tria ſunt quæ ex animę providentia accipit corpus vt vivat, vt decorè vivat, & vt immortalitas illi ſucceſſione quæratur, ſumma, anima vita eſt hominis, vt inquit iſidorus lib. 1. Etimolo. Anima dum vivificat corpus, anima eſt, dum vult animus eſt, dum ſcit meus eſt, dum recolit, memoria eſt, dũ rectum judicat, ratio eſt, dum ſpirat, ſpiritus eſt, dũ aliquid ſentit ſenſus eſt.

Quanquam enim anima rationalis natura eſt, inorganica, expers mixtionis, concretioniſque elementaris, neque obnoxia illis mutationibus, quas mixtæ ſuſtinent, & libera à corporis contactu, tamen, cum ſit incluſa in hos coporis carceres divi-

nitus,

nitus, eo fine, vt ſit pars hominis, ſubſtantia præcipua, talibus illa eſt vinculis annexa , vt præcipuæ ejus vires, præcipuis facultatib⁹ cerebri ſunt cólligatæ, & cerebrum ſuo ſpiritu rerum conceptarum imaginibus imbuto, per neruum ex ſeſe derivatũ, afficit cor, hoc viciſſim vi ſui ſpiritus , genuit affectionem, eidemq; nervo imprimit, vt cerebre referat.

Verum animæ ſuæipſius cognitio admodũ difficilis eſt, vt etiam Ariſtoteles, lib. 1. de anima, teſtatur & Plato, lib. 1. de legib. dicit, quæ res eſt noſtra anima, quæ eius quoque ſint virtutes omnes ferè ignorant, hinc inter Ethnicos tot de anima opiniones vt Lactantius in libro de opificio Dei recitat quod aliqui etiam nihil quod non vident, eſſe credunt, eamque ob cauſam negant Deum quem non vident, vt Crates Thebanus, & Ariſtoxemus, ſed neque vident odorem ventum, & vocẽ tamen ſunt , quod vero odorem ſentimus vocem audimus & ventum , id ſanè efficit anima noſtra. Et quamuis Deum in ſua eſſentia non vident, certè ex creaturis cognoſci poteſt, vt præclare ſtygeli⁹ inquit.

Aut mihi planto ſuis numen demenſtrat ab herbis.
Præſenaemq́; refert quælibet herba Deum.

Item : *Sydera qui ſpectat, non neget eſſe Deum.*

Hęc omnia igitur vt intelligam⁹, vt audiam⁹, atque dijudicamus facit anima noſtra, videtur quidẽ

homini,

homini, qui animæ officium non intelligit, quod tempore Apostolorum homines nimis leviter, suam quam à majoribus acceperant religionem mutassent, verum notandum, quod prius Christum, & Apostolos diligenter audiverunt, miraculaque eorum viderunt, cumque, docēte hoc illos anima, non corp⁹, cognoscerent authore spirit. san. quod Christus, ejusque discipuli docerent consentanea sacræ scripturæ, neque novam docerent religionē, sed veterem illustrarent, ideo valedixerunt judaismo, adhæseruntq; Christo, nova enim erat religio Pharisæorum, & Zadducæorum Rabinorumque, vetus autem erat de Messia quæ obliterata erat Iudaicis, & Ethnicis superstitionibus, & impietatib⁹, hæc hisce temporibus nobis sunt consideranda, neque hic carnem, sed animam per spi. sanct. ad judicium adhibeamus. Nam hoc tempore quoque variæ sunt de religione dissensiones, ac profectò non est iniquè ferendum, si quis non patiatur se continuò dimoveri, à diuturna sua religione, quã videt majores suos sequutos, & quam ipse ab ineunte ætate sectatus est. Nihil enim habem⁹ in terra majus, & divinius religione, Athenienses tantâ observantia suam religionem observarunt, vt inter articulos juramenti civium referrent, pugnabo pro sacris solus, & cum multis, quare, non est ægre ferendum, si quis non statim abiecta veteri religione novam approbaverit, nam & hoc sibi volunt

dicta

dicta ſcripturæ, Math. 7. cavete à falſis Prophetis, vt autem caveamus, opus eſt diligenti, ac accurato judicio, non feſtinatione. Item, Epheſ. 4. docemur, ne ſimus pueri ſenſibus, qui fluctuemus, ac circumferamus quovis vento doctrinæ, per verſutiam hominum. Item, Iohan. 4. Non cuiuis ſpiritui eſſe credendum, ſed probandum an ex Deo ſint. Quare in cogneſcenda vera religione, non eſt præcipitanter agendum. Quid ergo faciendum eſt? Sequamur primitivæ Eccleſiæ exemplum cum enim Chriſtus ejuſque Apoſtoli damnarent quoſdam abuſus religionis, ac dammarent quoque Phariſæos, tum auditores non ſtatim abiecerunt Chriſtũ & Apoſtolos, nec continuò quoque aſſenſum prębuerunt eis, ſed cum animadvertiſſent impietatem Phariſæorum, & nequitiam eorum, diſceſſerunt ab eis, ac primum omnium audiverunt Chriſtum & Apoſtolos, contuleruntque hanc doctrinam cum fundamento, num conveniat. Sic berroenſes quotidie ſcrutabantur ſcripturas, an etiam Apoſtoli vera docerent, quæ ſcilicet cum fundamento convenirent, fundamentum vero eſt, quod ab initio orbis terrę promiſſus ſit Chriſtus, & quod promulgatus ſit decalogus à Deo, vt obſervaretur, ac per Meſſiam remiſſio peccatorum habeatur, cum igitur intelligerent doctrinam Chriſti & Apoſtolorũ cum hoc fundamento convenire, crediderũt eorum doctrinæ.

Habemus

Habemus & nos fundamentum, videlicet decalogum, & symbolum Apostolorum, adde etiam orationem dominicam, horum enim alterum continet quicquid de Deo credendum, alterum quicquid boni operis præceptum, quicquid mali prohibitum sit, hæcque est vetus religio, exorta est autem hisce temporibus multa controversia de religione, non igitur damnemus statim, quod nondũ cognovimus, nec Suscipiamus quod nondum expendimus, sed audiamus, & imploremus opẽ Dei; & conferamus cum veteri religione, ibi tum depræhendemus ipsi, quod multa irrepserunt in veterem religionem pugnantia cum veritate.

Quid ergo dicemus de his qui mortui sunt ante hæc tempora? num damnati sunt? nihil minus, multa qnidem reprehensibilia ad mixta sunt veræ doctrinæ, majores tamen pij credentes in Christũ, verè mirabiliter servati sunt, qui omnem impietatẽ abiecerunt, & confisi sunt sola misericordia Dei in Christum, igitur servati sunt.

Et quemadmodum tempore Heliæ septem millia qui non curvaverant Baali genua, sic hi quoq; salvi sunt facti, nunc autem revelata veritate, non velle illam audire damnabile est.

Variæ, & diversæ inter Philosophos de anima hominis sunt sentetiæ, varro scribit hominem neque animam neque corpus esse, verum hominem ex anima & corpore compositum quid esse.

Augu-

Augustinus in lib. 19. de civit. Dei hanc varronis sententiam laudat, quamuis vero corpus hominis carnale est, anima spiritualis, consonantia tamē inter corpus & animam adeò est firma, vt separatio dum homo vivit sit difficilis. Nam post discessum animæ à corpore, corpus non vivit, non audit, non loquitur, imò non plus sentit quam lapis.

Circias & Empedocles dicunt, animam subtilē quendam igneum esse spiritum. Hypocrates doctissimus medicus idem sentit, sed ignis vrit, & sentitur, aut palpatur per passionem, quod anima non facit, verū anima per aërem sive spiritum, & calorem nutritur & sustentatur, quemadmodum candela per oleum nutritur, quamuis oleum non sit candela.

Summa, corpora nostra per animam vivunt quinque in homine excitat & alit sensus cognoscere facit quoque hominem res invisibiles, habetq; anima liberam voluntatem accipiendi res, aut reijciendi eas res quas intellectus illi præsentat, aut offert, quare & anima peccare dicitur: rectè igitur Augustinus, interest quomodo verbum procidat ex ore, ream linguam facit rea anima, ideo non est considerandū, quid homo faciat, sed quo animo, & voluntate quę voluntas ab anima procedit.

In eodem facto, (inquit Augustinus) invenimus Deum patrem, in quo invenimus & Iudam proditorem, patrem benedicimus, Iudam detestamur,

nam traditio Christi, facta est volente, & consentiente patre, & Iuda, vna res facta est, quã tamẽ pater fecit in charitate, Iudas in proditione, igitur intentio & ex anima voluntas diversa, vasis iræ Deus nunquam redderet interitum si non spontaneum inveniretur homo habere peccatum, quia nec Deus homini peccanti justè inferret iram, si homo ex Dei prædestinatione incidisset in culpam.

De Tyrijs & zydonijs oritur hæc quæstio, an illorum merito, sive voluntate sit factũ quod non crediderunt? quid aliud possumus respondere, quã non esse illis à Deo justo suo judicio datũ, vt crederent, quã tamen credituros ipsa veritas dicit, si talia, qualia apud non credentes facta sunt virtutũ signa, quare hoc autẽ eis negatũ fuerit, dicant qui possunt, qui calumniantur, & dicunt, cur apud eos dominus mirabilia, quibus non profutura erant fecerit, & apud eos quibus profutura erant non fecerit, nos si rationem facti & profunditatẽ judicij ejus penetrare non possum⁹, manifestissimè tamen scimus & verũ esse quod dixit, & justũ esse quod ficir, & non solũ Tyrijs & sydonijs sed quoque Corazim, & Betzaida potuisse converti, & fideles ex infidelibus facere si hoc voluisset Dominus in eis operari, neq; enim vlli falsum videri potest, quod veritas dicit, nemo venit ad me, nisi id fuerit ei datum à patre meo.

Hinc Ambrosius scribit, non est quod corpora

nostrum adscribamus ærumnam quæ peccatum sequitur, nisi nostræ voluntati, quæ ex anima procedit, nemo nostrum tenetur ad culpam, nisi propria voluntate, deflexerit, voluntarium sibi militē eligit Deus voluntariū sibi servum actionatur Sathan, neminem jugo servitutis adstrictum possidet sathan, nisi se prius peccator aëre vendiderit.

Nec tamen deficiat aliquis, aut de se desperet, si aut cupiditate vict⁹, aut libidine impulsus, aut merore deceptus aut in coactus, ad injustitiæ viā lapsus est, potest enim reduci, & liberari si eum pœniteat actorum, & ad meliora conversus, hæc lactantius.

Multi vero dicunt, quid mihi anima sana, atque Deo morigera prodest? si fatum est, si Deus omnia pro suo arbitrio moderatur, quid prodest si casus imperat? nam & mutari certa non possunt, nihilq; adversus incerta præparati potest, sed aut consiliū meum Deus occupavit decrevitque quid facerem, aut consilio meo nihil fatum permittit, quicquid est ex his, vel si omnia hæc sunt, philosophandum est, sive non inexorabili lege fata constringunt, sive arbiter Deus cuncta disponit, sive casus res humanas sine ordine impellit & jactat, Philosophia nos tueri debet, hæc adhortabitur, vt libentur. Deo obtemperemus, vt fortunæ contumaciter resistamus, hæc docebit vt Deum sequaris; feras casum, hæc seneca Iohannes Chrisostomus de animæ in

peccando libertate ait, ante peccatum arbitriũ habemus bene operandi, liberũ non autem postea, quia nostra virtute post peccatum evadere non possumus de manu diaboli, sed sicut navis fracto clavo illuc ducimur ubi tempestas voluerit, sic à diabolo à peccato in peccatum ducimur, nec hactenus quicquam facere licebit, nisi quod ipse diabolus voluerit, & nisi Deus nos valida sua manu misericordiæ soluerit, vsq; ad mortem in peccatorum vinculis manebimus.

Verum peccatum ex peccato oritur; vt Gregorius scribit, quod interdum peccatum non solum peccatum, sed peccatum, & peccati pœna, quod justo Dei judicio, Deus omnipotens cor peccatis obnubilat, vt præcedentis peccati merito, etiam in alijs cadat, vt qui malum sciens perpetrat, deinde etiam in alijs notens cadat.

Et Iohannes Chrisostomus dicit, peccatum peccato addit, qui culpæ quam fecit patrocinium defensionis addit.

Apud pios vero semper caro concupiscit adversus animam, & anima adversus carnẽ, atque hoc bellũ nunquã fuisset, si natura humana in rectitudine perstitisset, nunc autem quia pacem cum Deo fœlix habere voluit anima, cum carne pugnat infœlix, atqui nullus sanctus & justus caret peccato, tamen propterea non desinit esse justus, vel sanct⁹, si cũ affectu teneat sanctitatem. Igitur quemadmodum

dum Zoroaſtres Philoſophus hortatur, toto corde ad ſplendorem Dei præcatione properandũ eſt vt regat illam quã nobis infudit animam.

Supra ex pidoro. lib. 11. Etimologiorũ dictum eſt, animã dum recolit, eſſe memoriã, jam de Dei beneficijs nobis omnibus in genere præſtitis, ac deinde ſingulis juxta beneplacitum ſuæ gratiæ datis, quoties ea recolis, atque ad memoriã revocas, vt ita Deo gratias agere poſſis, Animæ hoc opus eſt, nulla vero intentio in præcatione aut in cogitatione de Deo, & rebus divinis ab hominibus ebrioſis eſſe poteſt, vbi anima ita perturbata eſt, vt non poſſit judicare, magnũ eſſe Scel⁹ quod homines ſibi ipſis paulatim mortẽ conſciſcũt, quod domiciliũ Dei deſtruunt, quod expellunt & arcent Deum, quo minus cordis eorũ & mentis poſſeſſione queat gaudere, neque malũ cenſent, quod multos dies temulenti, & furentes ſine vlla invocatione, aut meditatione de Deo vivant.

Et certè multis magniſque nominibus Deo devincti ſumus, de quibus homo gratus ſingulis momentis cogitare deoque gratias dicere debebat, ſtupidus ſi non cogitat, ſi non animadvertit planè cœcus in tot tamque varijs rebus à Deo creatis, quędam ſimplici eſſentia, quædã vita, quædã ſenſu donatæ ſunt, homini vero hæc omnia donavit Deus opt. max. addidit prætèrea ſoli homini intellectũ, nã quicquid cæteræ res aut habent, aut ſunt,

non sua causa habent, & sunt, quorsum enim virtutes & dotes illæ cuique suæ, si non norunt? sol in corporibus cœlestibus summũ tenet locum, Brutũ excellit stirpibus, & in brutis aliud alio præstantius, quid interest, sis aliquid aut habeas si nescis? excellas si non discernis, suaveoleas si non olfacis, luceas si non vides? certe soli homini hæc sciredatũ est, & frui, proinde soli homini omnia creata, & data sunt vt etiam Regius Propheta psal. 8. docet.

Sed vt apertiꝰ loquar, Deus dedit homini quodcunque cæteræ creaturæ aut habent aut sunt, nec loco creaturæ solum, sed filij hominẽ quoque habere voluit cui mundũ consultò dedit conditũque vtendũ tradidit, & possidendũ, rursum si possessor eam rem quæ possidetur longè superat, mundus autẽ hominis possessio est, quid vero ad hominem mundus, & quanto devinctior Deo homo, qui hominẽ creavit, atque sua ipsius manu ex terræ massa finxit, cũ cætera omnia ex nihilo, solo jussu fecit, huic non solum mundũ, sed hominẽ homini dedit, quod si eum non agnoscit, à quo non hanc possessionem modo, sed suã ipsius essentiã accepit quid dicandũ? nisi degenerẽ planè filiũ esse, qui non rationẽ modo sed animã quoque amiserit, jã in tot hominibus, qui singuli magna illa obligatione tenentur insolidũ, quam multi de ea nunquam cogitant? quam pauci bene? & si quis obligationẽ hanc agnoscit, quoties satisfacere conatur? vt autẽ

nonnulli

nonnulli conentur, quis tandem implet cum ab omnibus postulatur vt Deo reddant quod suũ est, id est nosmetipsis, & omnia quæ Deus nobis dedit, essentiam scilicet, vitam, sensum, meditationẽ, rationẽ, animamque cũ omnibus operationibus ejus, & actionibus, ac quod sumus, & quod habem⁹ ad Dei gloriam applicemus.

Cum nos sanè contra omnia ad proprium cõmodum, tanquã suũ finem, imò nos ipsos ad nos tantum conferamus. Subducemus vitæ calculum, quotã partẽ tribuamus Deo, quotusquisque passus ei inseruit, quotaque cogitatio ad Deum erigitur? præces nostræ quid? nisi delicta continua, cum in ipso ardore frigeamus, in ipsa attentione in vanas cogitationes abeamus.

Cum injuria patri corporis commoveatur quis vehementer, sed animarũ parenti si quis contumeliam intulerit, nemo hoc curat, si stemmata nostra quis lacerat, si vitreum monumentũ quis fregerit, existimationem nostram agi putamus, contra quis injuria proximo quantumuis gravi illata, vel leviter afficitur?

Quis hominis cæde multum commovetur nisi frater, proximus, & intimus? quis angitur propter imaginem Dei homini impressam confractã? certè imaginem illam non agnoscimus amplius, alioquin violare quis ausit, & quia tantum generis humani consensus eam deletam confitetur, qui tot

ſordibus oppleti ſunt, vt à quoquam, vix conſpici poſſint.

Quia vero agnitione illa quæ à Deo animarũ parente deſcendit, non tangimur amplius, ſed vili illa tantum carnis & ſanguinis communicatione, & contagione, quæ non magis ad illam accedit quam anima ad glebam, interim ſi quiſque ſceleratiſſimus capitalem ſuum hoſtem qui cum nullã ſibi cognationem putat occiderit, ſimulac cædem patravit, torquetur anima, & acres conſcientiæ morſus ſentit, plus quã ſi mille boves uno die occiderit.

Vides hæc omnia ſi cogitas, ſi benè cogitas ſi Deo gratias agis, anima in te operatur tua, alias caro, tot tantaque bona non curat, neque debitas gratias Deo reddit.

Flavinus Monachus. cap. 3. ſui libri aliquot fabuloſas recitat hiſtorias, quibus defunctorum animas, ſuis benefactoribus, gratas eſſe, atque benefacere probare conatur, contra quoque hoſtes ſues odiſſe eiſque male velle, certum eſt animas quos in hac vita noverunt meniniſſe vt Evangelica hiſtoria, Lucæ cap. 16. de diuite teſtatur, qui de fratribus ſuis ſollicitus orat, petijtque ab Abrahamo vt Lazarum ad ſuos mitteret fratres, hortareturque illos ita ſe comparent, ne & illi in lucum pœnarũ venirent, ſed denegatum illi hoc quantalacunque officium fuit. Igitur etiamſi bene ſuis olim notis,

atque

atque amicis volunt, tamen non possunt illis neq; nocere, neque prodesse. Vnam atque alteram ex flavino (ridendi gratia) recitabo historiam.

Tempore Caroli Magni duos fuisse ait capitaneos in militia, qui, antequã inirent præliũ, quod tunc fortè instabat, alter ab altero fuisse stipulatũ, vt si eorum unus in bello isto moreretur, alter superstes nimirum, mortui equum quẽ elegantem relinqueret, pro salute suæ animæ daret pauperib⁹, moritur un⁹ alter superstes, demortui equum sibi servavit, post dies duodecim, mortui anima, viventi apparuit, conquestaq; de non præstita Elæmosina, eamque ob causam alterum duodecim dies ad pœnam purgatorij dammatum esse dixit statimq; alter propter istam negligentiam concidit atque moritur.

Aliam ex possidonio historico, de duobus amicis qui vnâ Megara Athenas profecti sunt narrat, quorum vnus ad pernoctandum in publicum hospitium, alter ad amicum diuertit, ille qui ad amicũ diverterat in somno videt sodalem, atque amicum suum, qui rogabat vt illi opem ferret, quippè hospes suus velle illum occidere, ex somno quidẽ expergefactus ille, sed quasi somnium contemnit, rursus, per quietem apparet illi anima amici, jam ab hospite interfecti, ac rogat, quia non venisse illum in auxilium, vlciscatur vere jam ipsius mortẽ in hospite, qui jam corpus suum in currum fimo

 onustum

onustum imposuerit, maneque extra portam portare proposuerit, alter mane surgens ad partem civitatis, ita vt anima dixerat currum fimo onustū, inque eo corpus amici deprændit, hospitem accusavit, qui etiam, pœnas dedit.

Hisce fabulis multas illinivit chartas, verū animæ hominum dum in vita sunt, multa homini in memoriam revocant quorū homo facile oblivisceretui, anima vero sollicita, de salute totius hominis sæpissime tristia quæ homini acciderunt in memoriam revocat, vt homo de Dei protectione agat gratias, sæpe pericula ex quibus liberatus homo ob oculos ponit, vt alia ejusmodi devitet, aliorum quoque labores, pericula, pœnasque peccatorum, reminisci facit, vt fugiant & detestentur ejusmodi peccata. Nam si cogitas quos dolores impij senserint, hic dum adulterium, ille dum furtum molitur, hic dum fratri venenum miscet vt imperio potiatur, ille dum bonos cives, partim fraude, partim vi remouent, vt tyrannidem retinere possit, quantos dolores ante patratum malum, quantos post, remordante conscientia, febris enim continua est agitatio mentis perpetua, & dolor acutus & cò minus medicabilis, quod eum morbum indicare audet nemo.

Alexander Phæreorū tyrannus in summo fœlicitatis apice, pontem pensilem ad se retrahit ipse, vt in cubiculo cum concubina sit tutior.

Dionisius

Dionisius siculorum tyrannus, barbam novaculo committere non audet, filiabus radendã præbet, suspectæ sunt & filiæ, amburit. Putas tu sub illorum tyramide, fœlicibus illis, fœliciorem quenquam, interim sub auro & serico animi tortura latet, quod si vel horã vnã qua ille induitur quaque se exvere nequit interulã, induerim⁹ in ipso hiemis rigore nudi incedere malumus.

Sed dicis deliciantur, & vnde alijs laqueus his diadema, quasi vero intersit multũ sericis aliquis aut liveis prematur vestibus, aureis teneatur compedibus quam ferreis.

Adverte etiam an non eo ipso quod sceleribus suis superstites sunt, graviores pœnas luant, quam si in flagranti crimine dephræhensi, & necati fuissent, nempe quando reputant apud se lanienas & carnificinas suas ex animi sententia sui, non succedere, & tot scelera in cassum patrata esse, quibus & Dei & hominum iram in se, & mentis agitationẽ reportarunt. Verissimè igitur isidorus, distinct. 81. dicit, valet interdum conversis pro salute suæ animæ mutatio loci, plerumque enim dũ mutatur locus, mutatus & animi affectus, congruum est ergo indè etiam corporaliter evelli, vbi quisque illecebris inservivit. Nam locus vbi quisque pravè vixerit in aspectu opponit, quod sæpe ibi cogitavit quisque vel gessit. Atque hæc cogitatio animæ opus, interdum dulcis, interdum quoque accepta

est oblinio, vt in versu dicitur.

Salue mnemosine, dulcis oblivio salve
Tu bona non revocas, hæc mala cuncta premit.

Flavinus, cap. 4. pergit, & recitat aliquot historias, animas scilicet sæpunemero exire è corporibus, atque interim mirabilia operari, neque hoc solum, sed hoc quoque admiranda videre & audire, quæ postea hominibus revelent, imò cum Deo & Angelis versari & colloqui, videre non solũ præsentia, sed quoque præterita, & futura, & hujus rei aliquot historias fabulosas producit, Citat Gellium, qui sacerdotem ait fuisse eo tempore cum inter cæsarem & pompejum bellũ in Thessalia est gestũ, qui sacerdos, belli horam, & exitũ longè ante quàm præliaretur, prædixerit.

Deinde de hermotimo Clazomeno scribit, qui solitus fuerat animã extra corpus in longinquas etiam, & remotissimas emittere regiones, vt inde nova, & incognita reportaret, veraque, sed contigit aliquando, vt absente anima, cantharides, populi hostes hermotimi supervenirent, corpusque quasi mortuũ Ethnicorum more comburerent, reversa anima, domiciliũ suum non invenit, sed non indicat flavinus, neque plinius, ex quo hanc fabulã habet, quo tunc anima abierit an recta in cœlum, aut in purgatoriũ descenderit, fortassis adhũc circumvagatur, aliud domicilium quærens.

Aliam huic annectit fabulã, fuisse scilicet hyp-

pona

poné in africa ſacerdotem, qui quoties voluerit, animam ſuam è corpore evocaſſe atque in alia loca emiſiſſe, interim juſſit pulſari inſtrumentum muſicum, corpus tanquam mortuum permanſit, etiamſi vellicatur, aut moveretur nihil ſenſus habebat, ſed planè abſque ſpiritu permanſit, reverſa anima, ſacerdotis corpus nihil ſe quicquam, aut audiviſſe, aut ſenſiſſe quam inſtrumenti ſonũ adfirmabat, cum interim anima multa quæ in alijs ſe vidiſſe locis diceret.

Rhodienſem quoque narrat hiſtoriam fabuloſam dicitque, quendam ad mortis ſuppliciũ fuiſſe ductum, qui inter, eundum ſex naminaverit homines, qui brevi eſſent morituri, dixiſſeque hic prim⁹, ille ſecundus, & ita deinceps, atque hoc ita eſſe factum.

Tiberius Gracchus, cujus fit mentio apud ſaluſtium de bello jugurtino, hic erat tribunus plebis, cum interficeretur, hujus frater Caj⁹ Gracchus, illo occiſo adſpirabat ad hanc dignitatem ſatis tunc odioſam, nocte quadam apparuit illi, fratris ſui occiſi anima, monuitque hominem, ne illã, propter quam ille eſſet occiſus functionem ſuſciperet, alias fore, vt & ipſe ſimiliter inficeretur, quod & factum eſſe dicit flavinus.

Machometicam aliam quoque refert hiſtoriã dicitque, Albumanazerem medicum, & Machometiſtam, laboraſſe morbo, vtque illi videb acum

incurabili, nocte quadam, vidit per quietem animam demortui amici medici, quæ illi medicinam quâ se curare posset mõstravit hæc omnia si essent vera, tamen non per animas humanas illis innotuerunt nam non exeunt animæ è corporibus, vt huc & illuc circumuolitent, atque augulos mundi inspiciant divino ductu, vt pontificij censent, neq; solus melancholicus humor in cerebri corpus sese ingerens, animam à corporis gubernatione avocatam, talibus phantasijs imbuit, sed texit seriẽ illarum cogitationum sathan, eam variat mira arte, repetitis præteritis, hisque annexis præsentibus, & adspersis quibusdam fnturis, ne in suspicionem ineptiarum veniant, atque vtens occasionib⁹ quas melancholiæ præbent insinuat, inducta simul persuasione, vt se revera exijsse corporibus & corâm spectasse, quæ Sathan ostentat credant, corpora vero similia mortua interim jacent, fovet interea sathan corda, illisque aërem refrigerationi necessariã afflat.

Certum igitur est quod animæ è corporibus nõ exeant, prius quam dissoluantur anima & corpus, & anima ab illo qui corpori infudit, & adiunxit revocatur, nam in terea non vagatur anima, neque in purgatorio abstergitur à peccatis, sed piorum animæ: in Dei manũ sunt. sap. 3. impiorum vero in inferno, Lucæ 16, vbi supremum domini diem expectant.

Idem.

Idem & ſapientes Ethnici ſenſerunt, vt phecylides dicit, reliquiæ defunctorũ, poſtea dij exiſtunt, animæ enim manent expertes fatis in mortuis.

Sed diabolus qui multa futura, (quantum tamẽ illi à Deo conceditur) nevit, internas tamen animi cogitationes non videre certum eſt, ſed motu eas corporis, ab illa & affectionum indicijs colligi, ſecreta enim cordis, ſolus ille novit, ad quem dicitur, tu ſolus noſti corda hominum.

Dęmones quoque vt Auguſtinus ſcribit nõ ſolum voce prolatas diſpoſitiones verumetiam cogitationes cõceptas, cum ſigna quædam ex animo exprimuntur in corpore, tota facilitate prædicere poſſunt. Item Iſidorus, lib. 1. de ſummo bono, dicit Dæmones triplici acumine præſentiæ vigent, ſublimitate naturæ, experientia, poteſtatum, quod quoque viris probatur exemplis.

Tulis Ægipti rex interrogavit ſerapim quis poſt eum regnaturus eſſet, aut quis æqualis, aut ſuperior? Reſpondit ſerapis, qui proculdubio Sathan fuit,

Primus Deus, deinde verbum, & ſpiritus cũ his, omnia vero cognata illa, & In vnũ compacta, cujꝰ poteſtas æterna citis pedibus mortalis abi, vitura qui ignotam tranſigit, te potior eſt multo, hoc oraculum Sathan per ſerapin juſſu divino edidit. Deo alioquin hoc elogium non dediſſet.

Pletinꝰ. lib. 5. cap. 3. de Deo, ait, Apollo delphiꝰ, conſul-

consultus de vera religione respondit, ne mi extremũ, & vltimũ velis rogare infælix sacerdos, de divino genitore, deque charo & vnicò filio celeberrimi regis, & spiritu qui omnia circum affatim cõtinet, montes, terram, fluvios, mare, tartara, aërẽ ignem, heu me etiam nolentem spiritus ille his ędib⁹ expellit, desertumque linquetur limen hoc fatidicum, Sathan suipsius voluntate hæc non dixisset, nisi Dei jussu facere coactus fuisset, neque ejusmodi prædictiones, vt antea ex Plinio, Platone, & Plotino. Item Gellio commemoravimus, non per Prophetas Dei sunt dictæ, quemadmodum Ethnici illam Apollinis sententiam, nosce teipsum, quæ ad januã Apollinis ædium notata fuit, è cœlo perlutam fuisse dicunt. Hermes Philosophus dixit similiter, nempe nosce tuum genus, & considera, immortalitatem animæ tuæ, hæc enim cogitatio ad omnes te ducit virtutes, etiamsi vero hæc sint vera, tamen divino & Prophetico non sunt prolata spiritu.

Nam vt Philo hebræorum doctissimus ait, Prophetæ sunt quasi Dei instrumenta & quemadmodum cijtharæ suavem illum concentum prius non ædunt, quam ab artifice pulsatæ fuerint, sic divinos vates hæc oracula prius non posse tenerè quã spiritu Dei imbuti fuerint.

Cum neque Plinius, neque Plato, neque cœteri quos flavinus citat, Deum verum cognoverint, ne dum

dum ejus ſpiritu repleti, adque oracula ædenda, inſtigati à Dei ſpiritu, Divina enim oracula ex Dei cognitione quæ vera eſt Theologia procedunt, neque Theologiæ eadem eſt ratio, quæ cæterarum artium, aſſidua enim de Deo medicatione indiget, aſſidua quoque veri Dei invocatione, ac tum primum meus illuminatur ſpiritu ſancto, tanquam igne.

De Anima conſervanda.

CAP. III.

CVm vero Chriſtus Dominus noſter, moneat, caueamus ne tam prætioſa pars hominis pereat, ſicuti Lucæ 13. eam nobis commendat, immortalem ſcilicet eſſe, cum tyranni etiam ſi in corpus tremant atque graſſantur animam tamẽ non poſſe occidere docet, Deum autem poſſe, & animã, & corpus ſimul in infernũ detrudere, tanto magis igitur Deus eſt timendus ac rogandus, vt per ſanctum ſuum ſpiritũ hoc robur nobis addere velit, ne illam prætioſam partem amittam⁹, ſed quod omnia adverſa, quæ nobis accidũt, præcipuè propter Chriſtum, aut propter obedientiã quam Deo præſtare debemus, ita in Ihẽſu Chriſto conſecrata, & ſanctificata ſint, vt magis per ipſa conſervemus animã noſtrã, quã amittamus eam, dicit enim qui voluerit animã ſuã ſalvã facere perdet illam, qui autem

tantum perdiderit animam ſuam propter me, ſaluam faciet eam, ſed quomodo hæc inquies cõveniunt? qui ſervat perdit; & qui perdit ſervat? Chriſtianorũ cruce nihil hic eſſe fœlicius hic docemur, & contra impiorũ fœlicitate nihil eſſe infęlicius, ſive calamito ſius. Nam qui maluerit vitam ſuam extremis obijcere periculis propter me, & etiam derelinquere, quã me negare, videtur quidẽ juxta extremũ oculorũ aſpectũ illã vitã amittere; tãtũ tamen abeſt vt amittat, eam, vt potius ſervet & reponat eam in ſempiternã fœlicitatem, nã qui poſſet quis aliquid amittere quod in manu Dei ponat? poteſtne fidelior & diligentior cuſtos depoſiti inveniri quã dominus Deus noſter, cœleſtis? ipſe Chriſtus Dei filius, maluit vitã ſuã amittere, mortemque crucis ſubire, quam patris ſui voluntati reſiſtere, quo igitur Chriſtus pervenit? nũ ad perpetuã internecionẽ? ſic quidem pontificibꝰ & Phariſæis videbatur, ſed audi Chriſtum in Pſalmo 16. loquentem. Non derelinques animã meã in inferno, nec ſanctum tuum videre corruptionẽ.

Et Paulus Philipp. 2. Chriſtus factus eſt obediẽs patri, vſque ad mortem ad mortem autem crucis, quapropter & exaltavit illum in ſummam ſublimitatem, & donavit illi nomen, quod eſt ſupra omne nomen, vt in nomine Iheſu omne genu ſe flectet, cæleſtium terreſtrium, & infernorum, quod vero in Iheſu Chriſto capite noſtro geſtum eſt in

membris

membris quoque suis fieri necesse est.

Sed Monachus hic flavinus animæ quoque immortalitatem, fabulis aliquot ex virgilio, ovidio, alijsque Ethnicis historijs probare conatur.

Iremq; operationes, tam extra, quam in corpore, similiter fabulis docere vult. Recitat Orphei historiam quomodo Euridicen vxorem ab inferis reduxerit, id vero si, verum esset, non corpus, sed animam ex inferno liberasset.

Tiesten quoque, matremq; noronis Agrippinā revixisse scribit. Item filios hiobi, qui ex domus ruina erant mortui revixsse adfirmat, quæ certè omnia falsissima sunt, & omnes qui quidem Hiobi legerunt historiam apertissimum mendacium esse fatebuntur.

Ex platone fabulam magis quam historiā citat, ex 10. lib. de Repub. quod scilicet ex pamphilia Erus quidam qui in bello cum alijs multis fuerat occisus, quomodo post dies decem inter mortuos, qui jam ferē computruerant, integre sit inventus, cumque domum illum portassent, funusque pararent, & jam duodecimus dies postquam occubuerat esset, de repente illum revixisse, multaque de piorum post mortem gaudio, & de impiorum pœnis recitasse.

Machometicā addit fabulā, dicitque propè damascū, fœminā quandam mellulā, & mortuā, & sepultam fuisse, sexto vero die à funere, illā in sepul-

chro clamasse,atque vt refodetur rogasse, cumque præsentibus amicis ac marito, effossa esset, noluisse illam cum marito domum redire,sed petijsse vt ad christianorum deduceretur templum, quod & post longam cum amicis, & vicis altercationem sit factum,illam postremo,& baptizatam & Christianam factã esse, & certè pulchre sibi constat illa narratio deinde ex salustio,valerio maximo,& alijs animarũ immortalitatẽ probare vult,animas quoque gratiarum actiones suis benefactoribus reipsa præstare,aliquot fabulis,quas hic vt recitantur nimis longum esset probare annititur.

At nos ex sacris ostendimus eas non interire, sed piorum in manu Dei esse impiorũ vero in pœnis, expectare judicium filij Dei.

Sed quia in sacris literis mentio fit spirituũ, seu spectrum, vt apud Math. 14. &, Lucę 24. vbi discipuli Christi,putant,se spectrum,viso Christo vidisse,sunt etiam & hodie, qui sentiunt animas defunctorum,quas spiritus vocant, obambulare interdum vel in domibus,vel in agro,quæ & adiuratæ responsa dare soleant. Acalius quidem spiritus respondisse fertur se horrendas in igne purgatorio perferre pœnas,alius in glacie se torqueri dixit posse vero liberari,certis sacrificijs missarum peręgrinationibus ad divos,divasque Eleemosinis, alijsq; oblationibus, seu suffragijs alius alias nugas commemorasse dicitur.

Non

Non onnino igitur hoc loco importunum videtur, vt de ejusmodi apparitionibus seu spectris dicamus, hæcque authoritate sacræ scripturæ, quæ nobis erit lucerna perstringemus.

Homo duobus partibus corpore nimirum & anima constat, qui autem sua defunctus est vita, is nec corpore, nec anima in hac terra oberrat, corp⁹ enim sepelitur, & computrescit, id quod sensui nostro est manifestum, Animæ vero piorum vt jam sæpe repetitum est, sunt in manu Dei ipse Christus latroni converso dicit, Lucæ 23. hodie mecum in paradiso eris. Lazari quoque anima ab Angelis deportatur in Abrahæ sinunt Lucæ 16.

Stephanus acto. 7. moriturus inquit, domine Ihesu suscipe spiritum meum. Item Paulus cupio dissolui, & esse cum Christo.

His exemplis, & scripturæ locis manifestum est piorum animas non obambulare hic in terris, sed in summa tranquillitate, & gaudio ineffabili expectare futuram resurrectionem-

De animabus vero peccatorum, seu impiorum qui in peccatis, & incredulitate moriuntur, certum est, quod deferantur in ignum æternum. Lucæ 16. de divite epulone dicitur quod corpus sit sepultũ, ille, vero (quod de anima & dicitur, & intelligitur) sublatis oculis cum esset in tormẽtis, videt Abrahã à longè, & Lazarũ in sinu ejus, petijtque ab Abrahamo, vt Lazarum mitteret in domum patris, ad

Fratres ipsius, sed repulsam passus est: igitur certò statuendum, quod neque piorum, neque impioru corpora, multò minus animæ post mortem hic in terra ambulent.

De spectris.

Caput IIII.

SPectra & ejusmodi apparitiones, quæ aliquoties mantfestè, tum audiuntur, tum videntur ludibria Sathanæ esse, non est dvbium, Neq; est obscurum multas superstitiosas opiniones, de spirituum sive animarū vagatione, partim ex hominum inscitia, partim ex imbecillicate visus, partim ex imposturis hominum exortas esse. Videntur enim inrerdū à noctu ambulantibus flammæ in agris quæ fugientem insequi videntur, quas cū imperiti vident, spiritus esse putant, at hoc incendium suas habet rationes physicas, exhalatio enim calida & sicca fumat ex terra, quæ postea calore aëris accensa, & inflammata, apparet ardens, & ob levitatem, ac materię subtilitatem, moto aëre movetur, igitur videntur, fugientes aut ambulantes insequi. Sunt qui scribunt se vidisse suamipsius imaginem in aëre ante se ambulantem & certum est, hoc ex imbecillitate visus illis accidere.

Alicubi fures, & amatores, noctu strepicum in alienis

alienis ædibus excitant, vt formidine de ſpiritibus incuſſa, familiam fallant, quemadmodum furta de quibus in legib. 12. tabrilarum, per lancem, & licium, fieri conſueverunt: fures enim vt propoſitam alienarum rerum contrectationem interdiu commodius expeditent, nō aperta facie domum intrabant, ſed licio, ſeu filo cincti, lancem duobus foraminibus aptatam ante oculos habebant, vt matres familias, aut virgines, ancillulaſue, fortè in domo obuias terrerent, fugerentq; potius, quam de cognoſcendo fure eſſent ſollicitæ, ac interim res illi ſurriperent. Similiter multi faceti homines, exitarunt famam, de animabus & ſpiritibus vagantibus. Ejuſmodi eſt commentum, quod Eraſmus in ſuis colloquijs refert, ubi polum quendam inducit, qui mira quadam induſtria fauno quodam perſuaſit, animam quandam diris cruciatibus torqueri, quā ille aliquot miſſis & Eleemoſinis, ex iſtis cruciatibus liberare voluit, eſtque commentū ejuſmodi, prœmium tale proſtruxerat ſuæ fabulæ. Erat haud procul ab ſuis ædibus vepretum, ibi ille faunus apud ruſticos Anglicanos, (nam in Anglia hæc acta eſt fabula) rumorem excitaverat, obſervari ibidē ſpectrum quoddam, cujus ſubinde miſerandi exaudirentur ejulatus, ſuſpicabantur accolæ, animā eſſe cuiſpiam, quæ ibidem torqueretur. Interea cōmodum divertit ad Polum Faunus quidam ſacerdos, ex eorum genere quibus non ſatis eſt appella-

ri Latine regulares, nisi Græce cognomen idē accinatur, parochus vici illic alicunde vicini. Is sibi non vulgariter videbatur sapere, præsertim in reb⁹ sacris. Super cœnam ortus est sermo de rumore spectri. Quum Polus sentiret Fauno rumorē hunc non solum auditum esse, verum etiam creditum, cœpit hominem obtestari, vir doctus ac pius succurreret animulæ tam dira patienti: & si quid dubitas, inquit, explora rem, obambula ad decimam juxta ponticulum illum, & audies miserum ejulatum: adiunge tibi quem voles comitē, ita & tutior audies, & certius. Cœna peracta Polus ex more abit venatum, aut aucupatum, Faunus obambulans cum jam tenebræ sustulissent certum de rebus judicium, tandem audit miserandos gemitus: hos Polus artifex mire effingebat, abditus illic in vepreto, adhibita ad id olla fictili, quo vox è cavo reddita, lugubrius quiddam sonaret. Faunus domum se recepit, narrare cupiens quid audisset. Polus alia via compendiaria jam anteverterat. Ibi Faunus narrat Polo, quod erat actū, & aliquid etiam affingit, quo res esset admirabilior. Tandum Faunus vehementer obtestante Polo, suscepit negociū exorcismi, ac totā eam noctē agit insomnē, dum dispicit quibus modis rem aggrederetur tuto: nam sibi quoq; misere metuebat. Primū itaque congesti sunt exorcismi efficacissimi, & additi novi nonnulli per viscera beatæ Mariæ, per ossa beatæ Vuerenfridæ. Deinde

de delectus est locus in planicie vicina vepreto, vnde vox exaudiebatur, circumductus est circulus satis amplus, qui crebras haberet cruces, variasque notulas. Hæc omnia peragebant verbis conceptis. Adhibitum est vas ingens, plenum aquæ consecratæ. Addita est in collũ sacra stola, quam vocant, vnde pendebat initium euangelij secundũ Ioannẽ. In loculis habebat cerulã, à Romano Pontifice quotannis consecrari solitã, quæ vulgo dicitur agnus dei. His armis olim se muniebant adversus noxios dæmones, prius quàm illis Francisci cuculla cœpit esse formidabilis. Hæc omnia procurata sunt, ne si spiritus mal⁹ esset, impetũ faceret in exorcistã. Nec tamen ausus est se solũ huic circulo cõmittere, sed decretũ est, adhibendũ esse sacerdotẽ alterũ. Ibi Polus metuens, ne si nasutior adjunct⁹ fuisset, proderetur fabulæ mysteriũ, adjungit parochũ quendã ex vicinia, cui rẽ totã aperit: sic enim postulabat actio fabulæ, & erat is qui à tali ludo non abhorreret. Postridie rebus omnibus rite præparatis, sub horã decimã Faunus cũ parocho circulũ ingreditur. Polus qui præcesserat, è vepreto gemit miserabiliter, Faunus auspicatur exorcismũ. Interim Polus clàm per tenebras subducit se in villã proximã, illinc adducit aliã personã fabulæ: nec enim poterat nisi per multos agi.

Conscendunt equos nigros, ignẽ occultũ secũ ferunt. Vbi non procul abessent à circulo, ignem

ostentant,quo metu Fannum abigerent è circulo. Verum ea res propemodum pessime cesserat illis. Nam equi subito prolato igne,consternati, parum abfuit quin & se præcipitarēt & sessores, Habes primū actū fabulæ. Vbi reditū est in colloquiū, Pol⁹ velut ignarus omniū, rogat quid esset actum. Ibi Faunus narrat sibi conspectos duos teterrimos cacodæmones,in nigris equis,oculis igneis, ac naribus spirantes ignem, qui tentassent ingredi circulum,verū efficacibus verbis abactos in malā rem. His rebus quum accrevisset animus Fauno,postero die summo cum apparatu redijt in circulū, quumque diu multis obtestationibus provocasset spectrum,Polus rursum cum collega suo procul ostēdit sese ex equis atris horrendo fremitu, quasi cuperent irrumpere in circulum. Ducebant longum funem:eo leviter per humū tracto, dum hinc atque hinc vterque se proripit, velut abacti exorcismis Fauni,sacerdotem vtrunque vnà cum vase quod habebant aquæ sacræ plenum, provoluunt in terram.

His ita gestis, ubi reditum est ad colloquium, deprædicat apud Polum Faunus, quanto fuisset in periculo,& quam foriter utrunque cacodæmonē suis verbis profligasset, jamq; certam conceperat fiduciam, nullum esse tam noxium aut impudentem dæmonē, qui posset in circulum irrumpere. Hucusque progressa fabula commodum superve-

nit Poli gener: nam ejus filiam duxerat natu maximam, juvenis, vt ſcis, ingenio mi re feſtino.

Huic ſocer rem omnem denarrat, atque illi delegat partes, vt animam agat. Sumit ornatũ ac lubens, convoluit ſe linteo, quemadmodũ apud nos ſolent funera, habet prunam vivam in teſta, quæ per linteum reddebat ſpeciem incendij. Sub noctẽ itum eſt ad locum, vbi hæc agebatur fabula. Audiuntur miri gemitus. Faunus expedit exorciſmos omnes. Tandẽ procul inter vepretum oſtendit ſeſe anima, ſubinde oſtentans ignem, ac miſere ſuſpirans. Hanc quum Faunus obteſtaretur, vt eloqueretur quiſnam eſſet, ſubito proſilijt è vepreto Polus ornatu cacodæmonis, fictoq; fremitu: Nihil, inquit, tibi juris eſt in hanc animã, mea eſt: ac ſubinde procurrit vſque ad oram circuli, velut impetum facturus in exorciſtam, moxque velut ſubmotus verbis exorciſmi, & vi aquæ ſacræ, quam illi multã aſperſit, retroceſsit. Tandem abacto pædagogo dæmone, naſcitur dialogiſmus Fauni cum anima: percontanti & obteſtanti, reſpondit ſe eſſe animã hominis Chriſtiani. Rogata, quo nomine vocaretur, reſpondit: Faunus. Faunus inquit, idẽ mihi nomen eſt. Iamque ex cõmuni nomine res cœpit illi magis eſſe cordi, vt Faunus Faunũ liberaret. Quum Faunus multa percontaretur, ne diutina confabulatio proderet fucum, ſubducebat ſeſe anima, negans ſibi fas eſſe diutius colloqui, quod tempus

vrgeret, quo cogeretur abire, quò liberet dæmoni: pollicita tamen est sese postridie rediturã hora qua fas esset. Rursus convenitur in ædibus Poli, qui choragus erat fabulæ. Ibi denarrat exorcista quid esset gestum, nonnulla etiam admentiens, quæ sibi tamen persuadebat esse vera. Adeo favebat negocio quod agebatur. Iam hoc compertum erat, scilicet animã esse Christianã, quæ sub inclementissimo dæmone diris cruciatibus vexaretur. Huc omnis conatus intenditur. Verũ in exorcismo proximo ridiculum quiddam accedit. Quum Faunus evocasset animam, Polus qui dæmonẽ agebat, prorsus sic assilijt, quasi intra circulũ irrupturus: quũq; contrà Faunus pugnaret exorcismis, multamque vim aquæ asper geret, tandem exclamat dæmon, se ne pili quidẽ facere ista omnia, Rẽ, inquit, habuisti cum puella, mei juris es. Id quũ Polus joco diceret, tamen forte fortuna verum dixisse visus est: nam exorcista hoc dicto tactus, ilico recepit se in centrũ circuli, & nescio quid immussavit in aurem parocho. Id Polus sentiens, recepit sese ne quid audiret, quod audire fas nõ esset. Reprehendi poterat actio, quod parũ meminisset decori. Exaudivit tamẽ parochi vocem, indicentis satisfactionem. Vt ter diceret precationem dominicã: ex hoc conijciebat illum ter habuisse rem eadẽ nocte. Iam Faunus ferocior redit ad oram circuli, & vltrò provocat dæmonẽ. At ille jã timidior refugiebat, fefellisti me,

inquiens, si sapuissem, non mo nuissem te. Persuasum est hoc multis, quæ semel sacerdoti confessus sis, prorsus abolita esse è memoria dæmonis, ne possit opprobrare. Sed vt aliquando finiam fabulam, diebus aliquot hunc in modũ colloquiũ habitũ est cũ anima. Summa huc evasit. Roganti exorcistæ, num qua via posset à cruciatu liberari, respondit illa, posse, si pecunia, quã reliquisset fraude partam, restitueretur. Ibi Faunus. Quid, inquit, si per bonos viros dispensaretur in pios vsus? Respondit, & hoc profuturũ. Hic exhilaratus exorcista, summa diligentia percontatus est, quanta esset summa. Illa dixit ingentẽ, quod illi erat bonũ atque commodũ. Indicavit & locũ, sed procul disitũ, ubi thesaurus hic defossus esset. Præscripsit in quos vsus vellet impendi. Vt tres susciperent peregrinationẽ, quorũ vnus adiret limina Petri, alter iret salutatũ Iacobũ Compostellanũ, tertius oscularetur pectinẽ Iesu, qui est Treveris. Deinde per aliquot monasteria magna vis psalteriorum ac missarum perageretur. Quod superesset, ipse pro suo arbitratu dispensaret. Iam totus erat in thesauro Fauni animus, illũ toto pectore devorarat. Vbi nihil esset omissum, quod ad pecuniæ negociũ pertineret, exorcista submonitus à Polo, cœpit animã de curiosis artibus percontari, de alcumistica, deque magia. Et ad hęc anima quædã respondit pro tempore, cæterũ pollicita se plura indicaturã, simulatque illius opera liberata

fuisset à pædagogo dæmone. Sit hic, si videtur, tertius fabulæ actus. In quarto Faunus cœpit vbique serio prædicare rem prodigiosam, nihil aliud crepare in colloquijs, in convivijs, polliceri monasterijs magnifica quædã: & omnino nihil jã humile loquebatur. Adijt locũ, reperit signa, non ausus tamen est effodere thesaurũ, quod anima iniecisset scrupulũ, ingenti periculo facturũ, si prius quã essent peractæ missæ, thesaurus attingeretur. Iã multis nasutioribus subolebat fucus. Quum tamen ille nusquam non deprædicaret suam stulticiam, clàm admonitus est ab amicis, presertim ab Abbate suo, ne qui hactenus habitus esset vir prudens, nunc diversum de se specimen daret omnibus. Ille tamen nullius oratione potuit commoveri, quo minus crederet rem esse seriã: adeoque penitus hæc imaginatio occupavit animum hominis, vt præter spectra & malos genios nihil somniaret, nihil loqueretur. Abierat mentis habitus in ipsam faciem, quę sic pallebat, sic erat extenuata, sic dejecta, vt laruã esse diceres, non hominem. Quid multis? minimũ aberat à vera dementia, ni celeri remedio succursum fuisset. Polus & hujus gener hujusmodi technam commenti sunt. Effinxerunt epistolam raris literis descriptam, idque non in chartis vulgarib⁹, sed in his, in quibus aurifices reponunt bracteas auri, subrubentibus, vt scis, luto. Epistolæ sententia hæc erat: Faunus dudũ captivus, nunc liber, Fauno

liberato-

liberatori ſuo optimo ſalutem æternam. Non eſt mi Faune, quur te diutius in hoc negocio maceres, reſpexit Deus animi tui piam voluntatē, & illius merito me liberavit à ſupplicijs, ego nunc feliciter ago inter angelos. Te manet locus apud diū Auguſtinū, qui proximus eſt apoſtolorū choro. Vbi veneris ad nos, agam tibi gratias coràm. Interim cura vt vivas ſuaviter. Datū è cœlo empyreo, Idib⁹ Septembribus, Anno milleſimo quadringenteſimo nonageſimo octavo, ſub ſigillo anuli mei. Hęc epiſtola clàm poſita eſt in altari, vbi facturus erat rem divinā Faunus. Ea peracta ſubornatus eſt, qui eum ſubmoneret de re, quaſi caſu deprehenſa. Nūc eam circumfert epiſtolā, & oſtentat ceu rē ſacram: nihilque credit certius, quàm eam è cœlo perlatā ab angelo.

Hactenus Eraſmus, atque hinc colligendum, quid tribuendū ſit fabulis quę feruntur de ſpectris, ſuſpicor enim ab hominibus credulis, & fauni ſimilibus multa pro vera prodita literis, ſimilique artificio eſſe elaborata.

Simile ferè, ſed malo genio ductore, Monachi Aureliani in Gallijs Anno 1534. ſunt cōmenti res vero ſic ſe habet, psætoris vxor ejus vrbis, moribunda teſtamento cauerat, vt ſine pompa ſepeliretur, atque ſtrepitu. Cum enim è vita quis exceſſit in gallijs, præcones funebers, ad hoc conducti, per vrbis loca frequentia circumeunt, & cymbalis

excitato

excitato sono, multitudinē convocant, deinde nomen ejus qui decessit atque titulos edunt, & hortati populū, vt pro defuncto Deū præcentur, quando sit, & vbi sepeliendus pronunciant, cum autem funus defertur, adhiberi plærunque solent monachi mendicantes, & multa præferuntur luminaria, ista fiunt & æmulatione quadam, & quo magnificentius est apparatus, eo major est populi concursus, & admiratio, sed ea quam dixi fœmina earum rerum sibi nihil fieri voluit. Marit⁹ ergo, qui conivugis memoriā diligeret, morē ei gessit, & Franciscanis, quorū in templo sepulta fuit juxta patrē & auū, muneris loco sex dabat tantū aureos, cū multò sperassent illi majorē prædā. Et cum deinde silvam cæderet atque divenderet, petentibus illis ligna sibi dari gratis, denegabat, tulerunt hoc valde graviter, & cum antea minus illū probarent vlciscendi rationē hanc excogitabant, vt dicerent vxorē ejus in sempiternū esse damnatā, Architecti erant huj⁹ tragædiæ colimannus, & Stephanus Atrebantēsis, ambo Theologi Doctores, & ille quidē erat exorcista, totumque suum apparatū, in ejusmodi rebus adhiberi solitum habebat in promptu. Rem vero sic administrant. Nouvitiū quendā adolescentē, supra testudinē templi collocant, is intempesta nocte cum ad demurmurandas præces illi convenirēt more consueto, magnum excitat strepitū: adhibētur adiurationes & exorcismi: sed nihil ille prolo-

quutus,

quutus jussus est ędere signum quo declaret num mutus sit spiritus, denuò tumultuatur & perstrepit, id erat loco signi.

Eo jacto fundamento cives aliquot, & celebres quidem, & ipsorum studiosos adeunt: narrant sibi triste quiddam domi accidisse, neque tamen quid rei sit exponunt, sed rogant ne graventur adesse nocturnis præcibus. Cum hi venissent, & præcationum factum esset initium, ille de superiori loco turbam excitat, rogat⁹ quid vellet, & quis esset, significat sibi non licere loqui; jubetur ergo per signa respondere ad interrogata, foramen autem erat factum, per quod admotis auribus exorcistæ vocē haurire poterat, & intelligere, deinde tabulam habebat ad manum, quam interrogatus feriebat, sic vt infra posset exaudiri, primum itaque rogatur nō sit ex eorum munero, qui sint ibi sepulti? postea multis ordine recitatis nominatim, quorum ibi corpora condita, venitur tandem, ad vxorem prætoris, ibi dato signo, se esse spiritum ejus demonstrat. An sit damnata, & quonam merito seu delicto? num propter avaritiam, aut libidinem, aut superbiam, aut non præstitam charitatem, an vero propter nuper natam hæresim Lutheranismum? deinde, quid sibi velit illo strepitu, & inquietudine? num vt corp⁹ loco suo sacro sepultum effodiatur, alioque transportetur, quibus aliquid adfirmabat vel negabat, prout bis aut ter tabulam feriret.

Cum

Cum autem & ſuæ damnationis cauſam eſſe Lu-
theranam hæreſim , & effodiendum eſſe corpus
ſignificaret, Monachi petunt à civibus quos adhi-
buerant, vt ijs quæ coram vidiſſent dent teſtimo-
nium,& actis quæ jam erant confecta ſuperiorib⁹
diebus ſubſcribant,hi re deliberata ne prætorē of-
fenderent aut moleſtiam ſibi crearent,id facere re-
cuſabant, illi nihilominus panem azimum quem
hoſtiam vocant, & corpus domini, cum reliquijs
omnibus divorum aliò transferunt, & miſſas ſuas
ibi peragunt, quod lege pontificia fieri ſolet cum
locus aliquis propter infamiam,& prophanationē
eſt expiandus , nam certa quædam ejus rei capita
ſunt ipſorum compræhanſa libris. Epiſcopi autem
vicarius, judex,officialem vocant, ea re cognita vt
propius omnia cognoſceret venit eo comitatus
honeſtis aliquot viris exorciſmos fieri ſe præſente
jubet,at deligi nonnullos petit, qui ſupra teſtudi-
nem aſcendant,& videant num ſpectrum aliquod
appareat , ibi Stephanus Atrebatenſis admodum
repugnat,& valdè dehortatur ne fieret , ajebat e-
nim non eſſe turbandum ſpiritum : Et quanquam
is quem dixi vicarius multum inſtabat vt adiura-
tiones fierent,tamen nihil impetrare potuit, inte-
rea prætor,vbi reliquos judices vrbanos quid fieri
vellet docuiſſet,ad regem profectus, rem omnem
aperit,& quia ſuis privilegijs , ac immunitatibus
freti, judicium Monachi declinabant. Rex è ſe-
natu

natu parisino deligit, qui de causa cognoscant, ijsq; plenam potestatem attribuit, facit idem cancellari⁹ & legatus pontificius per Galliã, itaque cum nullã haberent exceptionem rei, traducti lutetiã, coacti sunt respondere: sed nulla potuit ab illis exprimi confessio, postea singulis positæ sunt custodiæ. Et novitius quidem tenebatur in ædibus fumeri senatoris, ac sæpe sollicitatus nihil voluit fateri, metuens ne post interficeretur ab illis, ob inustã ordini maculam, & factam ignominiã: sed cum judices & impunitatem ei promitterent, & fore dicerent, vt in ipsorum potestatẽ minimè rediret, totam actionem ordine recenset, & adductus ad illos idem affirmat, illi quanquam erant covicti, & in ipso prope maleficio depræhensi, recusabant tamen judices, ac privilegia sua jactabant.

Cæterum in regno pontificio creberrima solebant esse spectra: nam demortuorũ animæ (vt credebant) apparebant, & quamobrem essent damnatæ, vel ad tempus purgatorio sicut papicolæ vocant affigerentur exponebant & proximos, agnatos, vel amicos vt miseris opem ferrent sollicitabant frequens autem erat ; vt aut vota quæ divis fecissent ipsi persolui, vel pro sui liberatione, missarum aliquem certũ mimerũ, atque sacrificia fieri postularent, ea res & purgatorij ignis opinionem, & missis Autoritatẽ concili auit, & sacrificis erat supra modum quæstuosa, jam verò docemur e sacris litteris

mortuorum animas quiescere, & judicij diem expectare, turbas illas atque apparationes per sathanā effingi.

Etsi autem magna pars opinionum his occasionibus de vagatione animarum humanarum orta, aut potius confirmata sit, & humani spiritus minimè post illorū ex corpore discessum obābulant, tamen sentiendū est sathanæ ludibrio fieri posse vt obijcianrur nobis spectra quasi demortuorū hominū, quæ quidē spectra non sunt, ipsi homines, nedum animæ seu spiritus, sed sunt commenta, & ludibria Satanæ ad decipiendos incredulos, excogitata, scriptura quidem sacra dicit lib 1. Samuel. cap. 28. post incantationem milieris phytonissæ apparuisse virum senem pallio amictū, etsi hunc virum scriptura Samuelem vocat, antea tamen diligenter & mortem & sepulturā Samuelis descripserat, non sentit hunc virum verum fuisse Samuelem.

Sed fictitium, ad confirmandā Saulis impietatē à Sathana excogitatā ad hæc lex dicit nonsit inter vos qui consulat phytones, & quęrat à mortuis veritatem, qua lege perspicuè significatur spiritus incantationibus excitatos esse Sathanæ commenta, cum enim nonsit veritas à mortuis quærenda, hoc est à spiritibus cantationibus excitatis, manifestum est eos mendaces esse spiritus. Et cum Sathan sit mendax, adeoque ejus rei pater facile intelligimus hos

hos ſpiritus eſſe Sathanicos & à Sathana effictos.

• Quod autem de ſpiritibus incantationibus excitatis dicitur, aut dictum eſt, id de ſpiritibus ſu aſpõte apparentibus quoque eſt ſentiendum, quos cum ſcriptura vetet audire, & præcipiat ne ab ipſis quæramus veritatem, perſpicuè ſignificat eos eſſe ſpiritus impoſtores & Sathanicos.

Etiamſi verò hanc Sathã habet poteſtatẽ quod mortuorum hominum ſimilitudinem nobis obycere ſive videndam proponere poſſit, tamen hoc ſemper & cum libuerit facere non poteſt, alioquin ſemper (præſertim pijs, ejuſmodi obijceret ſpectra, nã ligatus eſt 2. Pet. 2. legitur ita, Deus angelis quæ peccauerant non pepercit, ſed cathenis tenebrarũ in tartarum vinctos prœcipitavit; & tradidit ſervãdos in judicium; Sathan igitur à Domino vinct⁹, non poteſt nobis ſuâ ſponte, quandò voluerit, ſua ſpectra (niſi cum à Deo poteſtatem hoc faciundi acceperit) obijcere.

Tantæ autem Clementiæ eſt dominus Deus erga homines vt nunquã illi abſolutam concedat poteſtatem, ſed ſuis certis limitibus circumdat, atque determinat, vt cum hiobo, & Math. 8. videmus, ſed & ipſe Chriſtus ait princeps hujus mundi judicatus eſt & Iohannes inquit major eſt qui in nobis eſt, quam qui in mundo. Quare, etſi Sathan ſua nobis obijcit ſpectra, atque formidoloſa commenta, deridenda tamen potius quam timenda ſunt, cũ

per fidem certiſſimi ſumus, quod Chriſtus qui in nobis eſt, fortior ſit, omnium Sathanæ ſpectris, & angelis.

Melchior Flavinius cap. 3. ſui libri, mentionem facit montis Heclæ in Iſlandia, conaturq; immortalitatem animæ probare, ex iſtius montis mirabili igni, in quo animos impiorum torqueri vulgus etiam Iſlandicorum credit, ego verò qui in Iſlandia aliquandiu vixerim, omniaque quę quidem ibidē, & viſu & relatú digna ſunt conſpexerim, vt quoq; ante biennium ædito libro feci, jam recitabo ex mea de Iſlandia Hiſtoria qualis ſit locus atque quæ ibidem conſpiciantur, aliorum judicio relinquo.

Sunt in Iſlandia tres montes valdè mirabiles, unus mons Crucis, alter Snevelſiockel dicitur. Hi duo nubes altitudine penetrant, quorum capita ſive ſummitates nemo unquam vidit, neque unquā glacie & nive vacui viſi ſunt; in his quotidiè fulgura, & tonitrua horrenda audiuntur, cùm tamen in propinquis convallibus aer æſtivo tempore ſit ſudus & ſerenus. Tertius mons ad Septentrionē Inſulæ eſt, neque adeò excelſus, annos verò cōplures arſit; quo igne, quave materia ignoratur, cùm verò per totam Inſulam ſulphur effodiatur, videtur ſulphuream materiam aliquando incenſam eſſe. Mons hic haud procul à mari eſt, mareque ex parte illum alluit, Hecla dicitur, interdum flammam, aliquando ignitam aquam, poſt nigrum cinerem

nerem, & pumices, tanta quidem copia ejicit, ut Solem obſcuret. nemo quoque in propinquo ad miliaria VI habitare poteſt, neque paſcua ulla circum ſunt. Aliquando homines audaces, & vitam nihili facientes, lapides per cavernas injiciunt; nã interdum mira eſt in monte tranquillitas, præſertim ubi Zephyrus ſpirat, immiſſos lapides ſtatim horribili fragore ac ſonitu rejicit: damnatorum animas hîc torqueri vulgus credit: varia & horrenda in hoc monte & circum ſpectra abſervari certũ eſt; nam ſi alicubi ſit prælium commiſſum, Iſlandici, præſertim ij qui in mari vicino Heclæ navigãt & piſcantur, prælij commiſſi diem ſciunt, etiamſi ignorent ubi ſit factum: vident enim [ut ipſi referunt] Cacodæmones exeuntes & revertentes, umbraſque adducentes. Et circumfertur hiſtoria talis in Iſlandia: Piſcator juxta Heclam navigans aliam navem obviam habuit, uterque ſecundo utebatur vento, cùmque more nautarum ecquis eſſet, & unde, quæſitus, Bremenſem Epiſcopũ ſe in navi habere reſpondit, quem ad Heclam deducere vellet: & compertũ eſt eo ipſo die Epiſcopum è vita diſceſſiſſe. Quod tamen ego pro vero ponere nolim. Si qui fluctibus aut alioqui perierint aut mortui fuerint, interdum ſuis relictis amicis & notis triſtes apparent, quæſiti quo & undè, ad Heclam ſub inclementi prædagogo Dæmone deduci ſe reſpondent, evaneſcuntque. Sicque à Sathana faſcinati

ſunt, ut animas demortuorum eſſe credant.

Sed quia infernum in hoc monte eſſe, nemo ſanæ mentis facile credet, quæri tamen poſſet, unde mons iſtam materiam habeat, qua tot annorum flammas, tot cineres, tantamque pumicũ copiam producat? videmus enim igne ſolidiſſima quoque omniaque conſumi: eamq; ob cauſam aliqui credunt fore ut iſtæ aliquando flãmæ extinguantur, nã deficiente cauſa effectus ullos ſequi poſſe negant. Sed hic quid ego ſententiã liberè dicã, ſalvo tamen aliorũ judicio. Conſtat ex Meteoris aqueis, quòd ex vaporibus in terræ cavitatibus collectis continua ſit aquæ generatio, quæ per fontes emanat; perpetuò autem durantibus cauſis efficientibus & materialibus perpetuò etiam effectus durat: ſic quoque in viſceribus terræ eſſe loca quædã, quę ſua natura ſiccã & calidã exhalationem attrahant, hancque in flammas, cineres, & pumices reſolvere, quod in iſto monte propter ſulphureã materiã, quæ in Iſlandia per totã terrã invenitur, facilè fieri poteſt: & quemad modũ fontes tempore hyberno plus aquæ quàm æſtivo ſcaturiunt, imò aliqui æſtate exſiccantur, propter deficientem materiã; ſic cum hoc monte: nã interdũ deficiente materia neque flãmas, neque fumũ habet, omniaque tranquilla ſunt, unde apparet materiã & efficientẽ cauſam deficere. Ut ut verò ſit, mihi compertum eſt neminẽ ſine periculo, & horrore, ad montis radi-

ces

ces accedere posse, vt postea explicabitur.

Eodem anno quo in Islandia essem, die XXIX. Novembris, circa medium noctis in mari juxta Heclã flãma apparuit quæ totã Insulã illustrabat, vt omnes attoniti miraremur, atque exitum anxiè expectaremus: seniores & hujus rei periti ex Hecla hoc lumen venire dicebant; post horã tota Insula contremuit, quasi suis sedibus moveretur, terræmotum secutus est horribilis fragor, vt si omnia bellica tormenta exploderentur, nihil ad hunc terrorem esset. Non potest cogitatione nedum verbis assequi, quàm horribile fuerit. Totã mundi fabricã corruiturã, postremumque adesse diem credidimus: at compertũ est postmodo mare ad duo miliaria retrò cessisse in illo loco, atque exsiccatũ esse. Sub initium Iulij, tempore anniversario, glacies magna copia noctu ex improviso Insulam circum Heclam alluit, ac vagatur rumor per totam Insulã, imò creditur, damnatas animas in hac glacie torqueri alternis vicibus in flãma in monte, ac deinde in glacie. Hæc glacies menses tres continuos solùm circa Heclã natat. Hujus glaciei si partem aliquã mari exemeris, linteoque involveris, atque in cista reposueris, tã diu illæsa manet quoad illa in mari natat; si verò in mari glacies evanuerit, quod repentè in una nocte fieri solet, hæc nusquã apparet, neque ullum humiditatis signum in linteo relinquit. quod Sathanæ haud difficile est gla-

ciem sine humiditate tollere, ut illorum incredulitatem augeat. Meminit hujus glaciei Olaus Magnus lib.11. Sed quia ego omnia diligenter perquirere statuerã, non sine horrore ad hanc glaciẽ navigavi, & animadverti vi ventorum hanc glaciem ad scopulos torqueri, & ita lugubrius quiddã sonare à longe, quasi exaudirentur ibi miserandi ejulatus, hinc Islandici damnatorum animas in ista glacie torqueri putant.

Viderit igitur flavinius quam verum sit quod de eo loco inferni adfert.

Dictum est supra de hominis anima à Deo scilicet creatam, hominique infundi, esseq; hominis vitam, liberam etiam habere, tam boni, quàm mali, eligendi, vel reijciendi voluntatem, cum verò sæpius malum sequatur quam bonum certum est ipsam peccatis inquinari.

Hinc pontificij docent, oportere illam purgari igne, autequam venire in cœlum possit.

Conaturque flavinus hunc ignẽ, & esse & purgare animas, præsertim piorum, ex Æthnicis, judæis, ac Mahometistis probare.

Cum vero hæc omnia, quæ de igne hoc purgatorio proferuntur, contra Dei verbum pugnent, probabimus esse Sathanæ commentum, quicquid de illo igne pontificij docent, excogitatum à Sathana, vt Christi meritum per suam passionem & mortem tollat, atque Christi Sanguinis effusionẽ

per

per quem credentes in Christum, ab omnib⁹ purgantur peccatis, nihili æstimetur. Capite enim sui lib. 31. scribit. Non sibi deesse novi fœderis testimonia, ad probandũ purgatoriũ primo adducit ex prima Apostoli Petri post acceptũ spirirũ sanctum in die pentecostes, dictũ actorũ. 2. vers. 24. ubi Petrus ostendit judæis quod ille ipse Ihesus Christus, quẽ in cruce, pro scilesto interfecerant, sit promissus à Deo Patre Messias.

Dicit enim hunc Ihesum Nazarenũ, exhibitũ à Deo erga vos, virtutibus & prodigijs, & signis, quæ fecit per illũ Deus in medio vestri, sicut & scitis ipsi, hunc definito consilio, & præscientia Dei traditũ, quum accepissetis per manus iniquorũ crucifixum interemistis: quẽ Deus suscitavit solutis doloribus mortis.

Hic vt suũ cõmentitiũ probet ignẽ purgatoriũ flavinus dicit. Non loqui de Christo, sed de animabus in purgatorio, non solũ Petri cõcionis sensum, sed ipsa quoque verba depravat, atque in suam detorquet, sententiã, quãquã vero in tã aperto mendacio, responso opus non erat, tamen vt posteri videant, quã turpiter pontificij sacrã scripturã, ad suas imposturas detorserint, ipsique pontificij intelligant, graviter in hac re esse peccatũ, caveantque in posterũ, falsitatẽ hujus Monachi indicabo. Dicit enim non loqui hic petrũ de Christo, neq; posse de Christo intelligi, quod dicit solutũ esse dolo-

ribus mortis (cela, (inquit) ne se peult entendre de Ihesu Christ, duquel ses passions ont peis fin, quād it à crie consumatū est, hęc sunt ipsissima ejus verba, Gallicè enim scripsit, neque dicit flavinus esse hæc verba de ijs, qui sunt in sinu Abrahæ, neque de ijs qui damnati ad inferos sunt detrusi, dici sed intelligi solum de illis qui sunt in purgatorio, infernū enim hic pro purgatorio poni.;

Iam certū est, petrū in hac sua concione judæis velle demonstrare, Christū, quē illi crucifixerant hoc donū sancti spiritus dedisse, & verum esse messiam promissum patribus neque loqui de vllo alio quam de Christo. Deinde, flavinus falso dicit Petrum dixisse Christū solutū doloribus inferni, cum de morte loquatur λύσας τὰς ὠδῖνας τοῦ θανάτου habet græcus textus, vinculis mortis non inferni.

Fabulosas postea historias, ex vitis sanctorum Ægipti, de sancto quodā Machario recitat, atque pro vero nobis obtrudere conatur.

Dicitque Macharium, qui demortui caput fortè conspexit, illud adiuravit, vt proloqueretur ecquis fuisset, respondisse fuisse se caput idolorum sacrifici, cujus anima jam in inferno sit, sed animā illam precibus posse illinc liberari, vt ad tempus à tormentis sit libera.

Sanctum quoque Bradamū, aliquando in oceano navigasse, vidisseque Iudam proditorē Christi, ambulantē juxta mare in pascuis, interrogasse

Iudam,

Iudam, quare non es ò Iuda in inferno? Respondit Iudas esse ei permissum, idque aliorum meritis ut ad tempus aliquod refrigerium habeat sed hic scire velim, quomodo is Iudam agnoverit.

Trajanum quoque (ait) imperatorem Æthnicũ, precibus sancti Gregorij ex inferno liberatũ esse, verum cum hæc & fabulosa , & redicula sunt ex Poëta tamen respõdebo, atq; docebo neminẽ unquã ex infirno liberatũ esse, nam Virg. Æneid 6. facilis descensus averni.

Sed revocare gradum, superasq; evadere ad auras, hoc opus, hic laber est,

Atqui proverbio dicitur, memorẽ mendacẽ esse oportet, antea dixerat, illos qui in mortali peccato essent mortui, de latos esse ad infernũ ubi nulla sit redemptio, atqui Iudã sibijpsi fregisse gulam, idque in summa desperatione , Evangelica docet historia, quomodo igitur remissionẽ ex illo damnatorũ carcere est ad tempus adeptus? Atque unde sanct⁹ ille Bradã Iudã, quẽ nunquã viderat novit? Mortui quoque sacrifici caput per S. Machariũ adiuratũ, quomodo sine cerebro, lingua, Palato, & dentibij proloqui potuit?

Et si verum esset, responsum aliquod datũ esse Sathanæ hoc non difficile fuit, suum ministrũ, ita ludificare.

Porro neque Prophetas, neque Christum cum Apostolis, contra purgatoriũ docuisse quicquam ponti:

pontificij dicunt, igitur credendũ esse quod sit sed tam Prophetæ, quam Christus, cum suis Apostolis docuerunt, in vnico Christo veram salutem sitam esse.

Esa.43. de Christo loquens ait. Ego sum Ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas Hier. 33. vers. 8. Ego emũdabo illos ab omni iniquitate sua, in qua peccaverunt mihi, & propitius ero cunctis iniquitatibus eorum in quibus deliquerunt mihi Psal. 25. Rogat David vt Deus deleat peccata.

Apostoli, vt de Christo taceam, peccatores ad Christum solum ablegarunt, vt baptista hic est agnus Dei, qui tollit peccata mundi, si hic tollit, nõ ergo purgatorium. Item sanguis Christi purgat nos ab omni peccato.

Rom. 3.4. & ad Gal. 3. & Ephe. 2. Paulus in sola Dei misericordia fide appræhensa, salutem nostrã sitam esse docet.

Vides igitur & Prophetas, & Apostolos contra purgatorium docuisse.

Flavinus cap. 13. sui libri, purgatorium esse, ex platone, & plutarcho probare conatur, est quidem verum quod Plato virorũ præstantiũ animas, qui vel Philosophiam excoluissent, vel serijs virtutum studijs, atque exercitijs vitam traduxissent, & pericula subijssent, sustinuissentque certamina pro defensione justitiæ, & rebuspub. eas (inquam) Plato dicit laxatas, atque explicatas corporum vinculis,

rectâ

rectâ ſubuehi in cœlum, doctrina, & recte factis velut alis. Reliquorum qui turpitudine dediti fuiſſent ac luxuriæ, omninoque vitam à virtute alienam egiſſent, ſeq; multis variorum vitiorum ſordibus aggravaſſent: onere ſordium etiã cum enitantur, ſurſum reprimi terræque affigi, & vagari circa ſepulcha, ſuaſq; deplorare miſerias, tantiſper donec & meritas luant pœnas, & contractas expient, atque eradicent ſordes.

Eas apparere quandoque ac conſpici, nonnunquam gemitus exaudiri earundem atque ejulatus.

Plutarchus his diſſimilia ex ſolæi cujuſdam narratine recitat ſolæũ ſcilicet, qui ex lapſu, colludẽte Sathana (vt opinior) mortuus videbatur, poſt triduum revixerat. Nimirum animas omnes promiſcuè cum è corporibus emigrarunt, bullarũ inſtar, humana ſpecie efferri ſurſum deorſumque, & confertum agmen animarum volitare in aëre, ſed diſſimiliter.

Impollutas enim rapidiſſimo motu, diſcuſſo ac ſuperato aëre, vt ſummam cœli arcem, quieti beatorum deſtinatam perferri, reliquas pro ſordium quas criminibus & vita ſcelerata peperiſſent ſibi, accumulaſſent, diſcrimine variè huc atque illuc agitari, nunc ſurſum contẽdere, ſed retrahi, ac deiji ci pondere ſordium incumbentium, mox in girũ convolui rotarum inſtar, & complicari inter ſeſe, mutuoque complexu cohæreſcere aliquan diu, &

rurſus

rurſus divelli, his Adraſtiam jovis & neceſſitatis filiam, judicem vindicem conſtitutam, conſiſtere in ſummo loco, providereque ne elabatur aliqua aut pœnas declinet, eandem decernere de modo pœnarum, partirique pœnas trifariam, vt eas quas vel parum culpæ, & vitiorum conflaſſent, aut maximā earum partem hujus vitæ calamitatibus exhauſiſſent atque eluiſſent, brevi lenique ſupplicio afficiendas daret.

His proximas, quibus ob majores, & impreſſas altius ſordes ſcelerum, acerbiore medicina opus eſſet, & expurgatione fortiore, traderet purgandas judici, reliquas vero quę ita vitijs ſcaterent, vt elui perpolirique poſſent difficilimè, crudeliſſimè torquendas & excarnificendas commendaret, continuarique illos cruciatus & ſupplicia, donec labes ſit exrerſa omnis atque extirpata.

Sed communi omnium Philoſophorum perſuaſione exiſtimatū eſt, Animas cum ex hac vita evolaſſent rectâ in orcum deportari, ibique pro ratione actæ vitæ in certas ſedes tranquillas, aut ſupplicijs deputatas collocari, & vel frui lætitia, vel exercere pœnis pro admiſſorum criminum ratione, nec ſemel deductis patêre reditum, niſi conſentientibus id fiat plutone & proſerpina à quibus idcirco conventuræ animæ prius ſacrificijs miſſionē impetrabant.

De animabus defunctorum, etſi tota antiquitas

Æthnica

Æthnica opiniones miras habuit & diversis, vti jã dictum est, tamen saniores plerique in eo consentium non interire cum corporibus animas, sed solutas corporum carcere manere superstites, oculisque purioribus contueri omnia ac perspicere exactius, que per obtensas velut nebulas, ac sordes in corporibus pernoscere & assequi non potuerunt, tunc intelligere ac complecti, certo discrimine.

Flavinus cap. 13. sui libri dicit, Cainum, Abeli Fratri suo dixisse, non esse Dei judicium futurum, neque esse justitiam neque puniri peccata, neque recompensari benefacta in altera vita, negasse Deum, creationem, Dei providẽtiam, misericordiam & Iustitiam Dei, Negasse vitam æternam, cœlum & infernum.

Hujus Discipulos esse & in doctrina successores Lutheranos, Zuinglianos, quique Romanum põtificem abiurarunt, eosque sequi errores Diagoræ, Luciani, Epicuri, & Aristotelis, eamq; ob causam negare illos purgatorium, suamque de Caino opinionem ex Rabino quodam vrieli probat, quem Hebræi tanti æstiment, ut nihilo minus illi credãt quam quovis Propheta.

Atque ad probationem purgatorij ex Æthnicis Poëtis, citat Orpheum, jamblichum, pithagoram, senecam in tragædijs, Virgilium 6. Æneid. Ovidiũ quoque. 4. Metamorph. Alcoranum docere ait, quod omnes post mortem in ignem purgatorium

veniant,

veniant, ex quo, boni poſt aliquot tempus liberentur, ſed mali nunquam. Malos dicit eſſe, qui non præliati ſunt pro fide Machometica, & doctrina; pro quibus quoque Alcoranus cap. 10. vt quis oret vetat.

Philoſophum quoque Algazaëlem Machometicum citat. qui in 5. lib. Phiſices Ariſtotelis ſcripſit commentaria, hunc dicit in eo libro. cap. 4. de purgatorij ignis pœna dicere, indicibilem ſcilicet eam eſſe.

Avicennam medicum, qui & ipſe in Metaphis: Ariſtotelis commentaria dedit & hunc ait credere infernum, & purgatoriū, dicitque adfirmare hunc Avicennam Machometiſtas credere judicium futurum, orare illos pro mortuis, jejunare, viſitare religionis ergo varia loca, neque illos demoliri tēpla ſuorum idolorum, obedire illorum pontificibus, igitur in extremo illi judicio reformatos quos vocant, judicabunt, & condamnabunt.

Iudæis quoque veram Dei cognitionem attribuit, dicitque papiſtas à Iudæis illam habere cognitionem quod animæ ſint immortales, atque ex illis didiciſſe locum ubi poſt mortē animæ maneāt doctrinamque de purgatorio igne, à Iudæis illos habere dicit.

Tum præterea addit, Iudæos antè Chriſti in hunc mundum adventum pro mortuis oraſſe, atq; crediddiſſe purgatoriū, quemadmodū. Machabe. 2.

cap.

cap. 12. Iudas Machabæus fecit.

Atqui Christ⁹ qui juxta Prophetiam, Esajæ. 11. nos omnia quæ quidem ad æternam salutem necessaria sunt docere voluit, non prohibuit, vt pro mortuis fieret ad liberationem ex purgatorio oratio, neque negavit esse purgatorium, ejusque Apostolos quoque ait cõtra purgatorium ignem nihil dixisse, itaque Iudæi etiamnum hodie pro mortuis ut è purgatorio liberentur orant, à quibus nos Catholici Romani hunc morem didicimus, hæc flavinus.

Videmus igitur pontificios (teste flavino) suam fidem non ex Dei indubitato verbo, sed ab Æthnicis, Machometistis, & Iudęis didicisse, qui neque verum Deum, neque filium suum Ihesum dominũ nostrũ, cum sancto spiritu cognoscũt, nõ igitur mirũ si in illorum publicis ritibus, & ceremonijs Æthnicos, Iudæos, aliosque incredulos imitantur.

Atqui nos non ex Alcorano, neque ex judæorũ delirijs, neque ex Æthnicorum aut libris, aut testinionijs de Animarum statu post mortem, sed ex ipso Dei verbo, deque purgatorio quid sit credendum ostendemus.

Pontificij sentiunt, Animas eorum Christianorum, qui non fuerunt quod ad mores & vitæ conversationem attinet, nec optimi nec pessimi, sed mediocres, igne quodam, postquam ex hac vita migrarunt, tanquam, aurum vel argentum à sordi-

bus peccatorum purgari: Cum enim Deus ſit clemens & propitius, remittere quidẽ propter Chriſtum, ſed quia etiam ſit juſtus, reſervare pœnam: eamq; æternam commutare in temporalem. Quã vel hic luant homines paſſionibus, & redimant bonis operibus, vel in igne illo purgatorio, poſtquam ex hac vita diſceſſum eſt cruciatu, pro qualitate delictorum, Relevari autẽ poſſe ex illo ſubſidijs, (ipſi ſuffragia vocant) ſuperſtitum, vt puta Miſſis, Vigilijs, Eleemoſinis, & precationibus.

Hæc vero Pontificiorum Doctrina, eſt contumelioſa in Chriſtum, ejuſque meritum, & ſacrificium unicum vere propiciatorium.

Hoc enim modo Chriſti officio, plurimũ derogaretur, quod ſcilicet ejus paſſio non perfecta eſſet peccatorum expiatio. Quaſi vero nõ ipſe pœnas noſtrorum peccatorum ſuſtinuiſſet in ſuo corpore, ut nos pacem haberemus, & livore ejus ſanãti non eſſemus? quaſi vero paſſio ipſius inſufficiẽs eſſet prætium noſtræ redemptionis? & partem aliquam reliquiſſet nobis expiandam, & in ſocietatẽ opera miſerorum hominum, meriti ac paſſionis Chriſti venirent.

Neque ſolum de culpa loquitur Propheta ſed etiam de pœna Eſa. 53. diſciplina pacis noſtræ, ait ſupra eum & livore ejus ſanati ſumus.

Et injuſtus eſſet Deus quod ditiores propter empta ſuffragia, pretio, citius dimitteret & liberaret,

ret, quam pauperes, & qui in aëre non haberent vt in corpore luerent.

Item, quos novissimus dies vivos hic depræhẽderit, cum cessaturum cum sit (juxta ipsorum opinionem) purgatorium, illi quibus alias si ante mũdi finem mortui essent, pœnę luendæ fuissent immunes ab istis futuri essent? ubi igitur justitiæ Dei hic satis fieret? Indignum vero in Ecclesia Dei videri potest quærere, an piorum animæ statim postquam à corpore recedunt ad æternam & fœlicem illam vitam, ad immortalitatem, & consociationẽ angelorum, omniumque piorum veniant. Nam multi sunt omni tempore Epicuræi, & piorum cœtui admixti qui hęc ridẽt, vt Zadducęi tẽpore Christi, & tam apud multos præcipua videtur sapientia, cum Luciano omnia ridere, ideo ad confirmandã piam doctrinam, de animarum piorum, æterna vita, & gaudio ineffabili quam æternitatem, statim postquam exonoratæ sunt à corporibus accipiunt, atque non in purgatorium prius præcipitantur, scripturæ sacræ testimonijs, quibus fides nostra roboratur, probabimus.

Genesis 2. creavit Deus hominem ad imaginem suam, Deus autẽ est immortalis ergo, & anima, quæ præcipua est hominis pars.

Ibidem cap. 15. Tu autem ibis ad patres tuos, sepultus in bona senectute.

Ibidem 25. Et congregatus est ad patres suos,

itaque patres illi ſuperſunt, atque vivunt in altero ſeculo.

Pal.33.in manus tuas Domine, commendo ſpiritum meum.

Eccle. vltimo capit. Rovertatur, puluis in terrã unde erat, & ſpiritus redeat ad Deum qui dedit illum.

Ipſe Chriſtus qui eſt veritas, ex veteri teſtamento allato argumento id probat, ubi Deus profitetur eſſe ſe Deum Abrahæ, Iſaaci, & Iacobi. Deus autẽ non eſt Deus morruorum, ſed vivorum qui ſunt, Ergo iſti vivunt.

Mortui ſunt quidem corporibus, Animæ vero vivunt apud Deũ igitur anima non uno cum corpore extinguitur ſed manet ſuperſtes, & vivit apud Deum meliori vita, fruitur Dei conſpectu, lætitia inenarrabili perpetua, etiam ante corporis reſurrectionem, non purgatur in igne. Sed vt ſapient. cap.3. iuſtorum animæ in manu Dei ſunt, & non tanget illas tormentum non igitur torquentur in igne purgatorio.

Lazari anima Lucę 16.poſt mortẽ ſtatim ab angelis in Abrahæ portatur ſinum ubi percepta cõſolatione fruitur gaudio, non deportatus in ignem purgatorium, latroni pendenti in cruce promittit Chriſtus æternam vitam, & hodie inquit eris mecum in Paradiſo, non dicit oportet te prius per ignem purgari, atque tunc venire, ſed Hodie in-

quit,

quit, cum post paucas horas spiritum emiserit.

Stephanus, & ipso Christo moriturus animam cõmendat. acto. cap. 7, Paulus, Philip. cap. 1. ait, cupio dissolui er esse cum Christo.

Multorũ animæ à Prophetis, Christo. & Apostolis revocatæ sunt ad corpora, è quibus exierant, non ex purgatorio sed quia in Dei manu erant, igitur Deus illas è sua manu, non ex igne remisit.

Helias viduæ sareptanæ filium, oratione sua ad Deum ex morte revocavit clamat enim ad dominum dicens, Domine Deus meus, revertatur obsecro anima pueri hujus in viscera ejus, & exaudivit Dominus vocem Heliæ & reversa est anima pueri intra eum, et revixit, non illam suffragijs amicorũ ex purgatorio liberavit 1. Reg. cap. 17.

Denique piorum animæ sunt in pace, & gaudio viventes, fruuntur perpetua letitia & gaudio cũ Christo, expectantes, carnis resurrectionem, quo totus homo perfectè baatus sit, & vivat perpetuò cum Deo, qui erit omnia in omnibus.

Rom. 14. dicitur, Regnum Dei esse justitiam, pacem & gaudiũ in spiritu sancto. Iohan. 14. Accipiã vos ad meipsum, ut ubi ego sum, & vos ibi sitis, atqui Christus non est in purgatorio, igitur neque piorũ animæ non descendunt ad purgatoriũ diximus hactenus de piorũ animabus, sed quid de impiorũ? præcipitantur in infernum, illicque cruciantur, donec in novissimo die, cum suis corpori-

bus quibus rursum conjungentur in æternos cruciatus cum diabolis abijcientur.

Psal. 54. sicut oves in inferno positi sunt, & mors depascet eos.

Lucæ 16. dives impius, statim post mortẽ cruciatur in flamma, neque ulla spes redemptionis apud illũ est, quod amicorũ suffragijs, possit liberari, quos divites reliquerat, qui multa illũ potuissent pecunia redunere, Petrus 2. Epist. cap. 2. de Angelis malis scribit, illos cathenis inferni detractos esse in tartarum, ubi sint cruciandi in judiciũ, si dæmones traduntur cruciandum, illorum quoque discipuli & organa, quemadmodõ omnes impij sunt.

Non orandum pro mortuis.

CAP. V.

EX supradictis apparet, quod orationes quę pro mortuis fiunt sint irritæ aut enim cum Deo fœlicitate fruuntur perpetua, & non indigent vivorũ intercessione: Aut jam sunt damnati, & in inferno positi, & frustra suscipitur oratio, nec juvantur & liberantur illis, sed feret quisque prout gessit in corpore. 2. Cor. 5.

Hic vero reclamant omnes pontificij, ac dicunt si pro mortuis orare, contra Dei verbum esset atq; inutile, proculdubio ipse Christus, cum hic in terris

ris doceret, aut per sese, aut per Apostolos suos prohibuisset, atqui non legitur hoc illum fecisse, igitur & licitum, & mortuis prodest.

Sed Ecclesiast. 11. scriptum est, lignū in quocūque loco ceciderit ibi erit, & sicuti Abraham respondet diviti Lucæ 16. est inquit inter vos & nos ingens hiatus firmat⁹, vt hi qui volunt hinc ad vos transire, non possunt, neque inde huc transmeare.

Quod vero flavinus ex 2. Machabæorū lib. cap. 12. testimoniū citat, hac facit confidentia quod Machabæorū libros ille inter authēticos nō ponit, & hac ratione dicit Novum quoque testamentum totū à Iudaris inter Canonices non recipi, neque Danielem Prophetā, contra ipsi⁹ Christi testimonium, qui ex 9. capite Danielis apud Machæum 24. cap. citat dictum, atque Danielem Prophetam nominat.

Dicitque non numerari Davidem inter Prophetas eumque per sanctum spiritum loquutum fuisse. Math. 22. cap. adfirmat, dicitque flavinus Iudæos hos libros quidem inter sacros numerare, sed non agnoscere pro Prophetis, neque majoribus, neque minoribus annumerare.

Origenem quoque dicit flavinus, non ponere libros Machabæorum, ad Hebræorum canonicos libros in commentario super primū psalmū, quorum 24. numerat, attamen origenem illos sæpe allegate, & tanquam sacræ scripturæ fidem illis attribuere.

Cyprianum quoque in Epistola ad Rogianum, & Ruffinum, item Augustinum lib. 2. de Doctrina Christiano idem facere affirmat. Item in libro de cura pro mortuis habenda, Machabæorum factum tanquam authenticũ afferre atque ex illo orationes, pro mortuis pie fieri affirmare.

Notum vero est, Machabæorum libros Apocryphos esse, quibus quantum sit tribuendum in Ecclesiarum controversijs satis constat, & quare.

Et negat pagninus se verba ista in Autographo (de oratione pro mortuis scilicet) reperisse, sicut quoque in Iosepho, qui & ipse Machabæorum historiam diligenter scripsit, hæc non reperiuntur.

Sed quid ad nos alienum factum, cum non exemplis sed legibus sit judicandum.

Præterea multa pravæ opiniones omnibus temporibus, apud Iudæos, & eorum sacrificijs fuerunt & hoc (si fuit) fuit leviticum, cujus generis nunquã profuêre mortuis : Sicut etiam secundum legem nunquam pro mortuis fuere oblata. Cum tamen aliâs plurimæ fuerint sacrificiorum species.

Describuntur autem in levitico, Capitibus 2. 3, 4. 5. & 6. Sex genera sacrificiorum ex ore Dei per Moisen excepta, & instituta, quorum tria ἱλαστικά erant, non quod mererentur veniam aut remissionem culpæ aut pœnæ æternæ, & placarent iram Dei adversus peccata generis humani, sed vocabãtur propiciatoria ex significato, quod typi erant il-

lius

lius victimæ quæ Deo ſatisfactura erat pro genere humano: & quando fiducia ejuſdem offerebantur, Deo placebant, & impetrabant quæ petebantur, cæterum in illo populo ad hoc proderant, vt ſi ab illis exhiberentur qui in ſe crimen aliquod cõmiſerant: teſtarentur vera eos pœnitentia duci de commiſſo crimine, & obtinerent ne excluderentur à ſocietate populi Dei.

Differant autem finibus, holocauſtum enim fiebat ad placandum Deum.

Reliqua redimebant pœnas certorum delictorum.

Holocauſtum Luthorus germanice brantoffer nominat, ibi tota victima, quam ex vitulis agnis, & hædis maſculis, aut tuturibus eligi oportebat, cremebatur, & velut in fumum verſa offerebatur, in ſublime atque evaneſcebat, quo ſignificabatur oportere hanc corruptam, & fœda peccatorum illuvie contaminatam naturam deſtrui, & renovari: Levit. 3.

Sacrificiũ pro peccato Lutherus nominat ſundoffer expiabantur hoc ſacrificij genere, peccata ex errore & ignorantia commiſſa. Levit. 4.

Sacrificium pro peccatis, que libera voluntate, ſine coactione & metu, committebantur, Lutherus vocat Schultoffer, & mactabatur Aries, cujus pretium æſtimabatur ex delicti magnitudine, Levit. 5.

Oblationem vero ubi adolebantur pugillus similæ, oles aspersus, tectusque thure, vel panes punos, vel logana cocta in clibano, & oleo oblita, aut frixa in sartagine, vel craticula tosta, oleoque perfusa, aut aristas.

Ex primis virentibus adhuc decerptas frugibus, leniterq; ad ignem ustulatas, comminutas, oleoq; madefactas, & thure desuper coopertas, harum rerũ partem capiebat sacerdos, reliquum universum cũ thure incensum adolebat, fermenti vero mellisq; non licebat miscere, quicquam hæc oblatio erat quod velut honorariũ mun⁹ de terra natis Deo exhibebant, testabanturque à Deo esse vitam, fortunas, res vitæ necessariæ, terræ fœcunditatem, salubritatem aëris, pacem; Et deberi Deo gratias pro tantis beneficijs, pertinebat quoque ad conservationem ministerij, Lutherus hanc vocat speiscepter, Livit. 2.

Hostiam pacificorum Lutherus Levit. 3. nominat Danck-offer, & fiebat cœsis bobus masculis aut femellis sine discrimine, vel ovibus, vel agnis, vel capris, quas sine aliqua labe accipiebant, incendebaturque vero sola pinguedo renibus & cæteris detracta, cum renibus, reliquum auferebant ij quorũ erant victimæ, idque si gratiæ testificandæ causa fiebat, eodem die comedere oportebat. Si ex voto mactassent tertio die, si vero quid reliquissent irritam faciebat mactationem, ipsosque prævaricationis

quis reos agebat lex. Levit. 6. vers. 12.

Sacrificium vero laudis, Lutherus nominat lobeoffer, fiebat quoque mactatione pecudum & oblatione libamentorũ, qua testabantur, se agnoscere illum Deum esse æternum, verum & vivum Deũ conditorẽ omniũ, Dominũ hujus populi, ex quo messiam esset missurus. Oportebat autem omnia sacrificia condiri sale consecrato, qui salfœderis vocabatut, & igne accendi, qui in Domini Tabernaculo asservabatur, differebãt autem victimæ ratione personarũ, delictorũ, & ritu mactationis, sacerdos vero si hoc modo deliquisset, aut universa multitudo, offerebat vitulum, cujus sanguine sacerdos conspergebat septies, cum velum, tum altare.

Si dux populi peccasset imolabatur caper.

Hæc sunt sacrificiorum mandatorum in veteri testamento species, ubi nullum pro mortuis institutũ, neque unquam observatum est.

Adhæc certum est Iudæos nunquam quicquam de purgatorio igne sensisse, licet vociferetur flavin⁹ de iudæorũ cum illis de purgatorio censensu quid velit.

Plato in phædone eodem modo ferè vt pontificij purgatorium describit, hunc secutus Virgilius in 6. Æneid. Hi sunt Prophetę, Apostoli, & Doctores qui hunc articulũ fidei papisticũ fundaverunt, caret enim omnino, scripturæ sacro testimonio.

Has

Has fabulas Sathan paulatim in Ecclesiam Dei inuexit, ita vt etiam Augustinus , qui se Philosophiæ Platonicæ addictum fuisse scribit involutus fuerit. Nec ullibi sibi minus constat quã in hoc loco, & hac materia. Quod hinc est factũ , quia scripturæ sacræ destituitur hæc materia testimonio.

Nam inquit in Enchiridio ad Laurent. cap. 6. posse tale aliquid post hanc vitam fieri, incredibile non est, & utrum ita sit quæri potest ? Item ibidem loquens de purgatorio, non abhorret (quantũ arbitror) à ratione veritatis ; Et in lib. 12. de civit. Dei cap. 16. Non redarguo , quia forsitan verũ est.

Sed postea id de quo dubitaverat antea, & de quo quæri posse dixerat, quasi invenisset, & certior esset factus affirmat, Attamen sine ullo scripturæ testimonio, imò contra eandem & dicit, neque negandum est defunctorũ animas pietate suorum vivẽtium relevari cum pro illis sacrificium mediatoris offertur, vel Eleemosynæ in Ecclesia fiunt.

Et tamen ipse Augustinus, de peccati meritis, & remiss. lib. 1. cap. 28. negat esse locum intermediũ, inter cœlum, & infernum, dicens. Nec est ullus vlli locus medius, ut possit esse, nisi cum diabolo, qui non est cum Christo.

Idem, libro. 21 de civitate Dei cap. 35. Et si in regno Dei possessione, nunquã erunt : æterno supplicio tenebuntur, quoniam non est locus medius, ubi non sit in supplicio, qui non sit constitutus in

illo regno.

Hic inferunt pontificij ex Psalmo 66. ubi psalmista de liberatione populi Israelitici ex Ægipto loquitur dicens, transivimus per ignem & aquam & eduxisti nos in refrigerium.

Et 1. Cor. 13. uniscujusq; op⁹ quale sit ignis probabit: Ergo ignis purgatorius, sacrę scripturę testimonijs probatur.

Augustinus respondit illis, qui loca hæc de purgatorio dicere affirmant, hic de igne tribulationis, & tentatione in hac vita, ac dolore, qui ex rerum & bonorum terrenorum amissione oritur, Paulum loqui ait.

Non orandum esse pro mortuis ex Dei verbo ostendimus, verum flavinus omnesque pontificij docent dicuntque, sanctos mortuos intercedere pro nobis, igitur ad hanc illorum intercessionem impetrandum, necesse est ut invocemus illos.

Atqui incertum, est sanctos orare pro nobis, & intecedere apud Deum, neque ex sacra scriptura probatur; Nam quod Zacha. 1. legitur Angelum orare pro populo Dei, hic locus nihil ad rem, est enim ille Angelus, qui Iacobum liberauit ab omni malo. Genes. 48. & qui præcessit Israelitis in deserto. Exod. 13. & introduxit illos in terram Canaan, hoc est filius Dei, intercessor & mediator unic⁹ noster.

Item quod de Onia ex Machabæorum libro. 2.
cap.

cap.15.infert,ſomnium eſt, nam ſupra demonſtavimus quid de Machabæorum libris ſit judicandum.

Quod ſi maximè probaretur, vel angelos, vel vita defunctos ſanctos pro vivis orare affectu dilectionis quo nobis benè cupiunt tamen inde non ſequeretur illos invocandos eſſe. Nam honor invocationis ſoli Deo debetur, juxta illud Deut. 6. Dominum Deũ tuum adorabis, & illi ſoli ſervies. Eſa.42. Gloriam meam alteri non dabo, nec laudẽ meam ſculptilibus.

Neceſſe eſt, vt is qui invocatur ubique audiat, ac ſit omnipotens, qui ubique & undique ad ſe clamantes exaudiat, ſitque ſcrutator cordiũ vt etiam gemitus rorum intelligat, ac poſſit juvare, & poſſit ex omnibus malis liberare,

Quæ omnia, & ſingula ſoli Deo vero competunt, ideo ſanctorum mortuorum invocatio Planè Ethnica eſt, & idololatrica.

Secundo nemo eſt invocandus niſi in quem credimus.

Quomodo enim invocabunt eum in quem nõ credunt. Roma.10. Sed in ſancto non eſt credendum, credimus enim in unum Deum. Ergo ſancti non ſunt invocandi.

Tertio, non eſt ſine Dei mandato novus cultus in Eccleſia inſtituendus, ſanctos mortuos eſſe invocandos nuſquam in Dei verbo mandatur neq;

ullum

ullum esse hoc factum extat exemplum, igitur sancti non sunt inuocandi.

Esa.63. Tu es Pater noster, & Abraham nescivit nos, Israel nos ignorant.

Obijciunt hic pontificij, per sanctos itur ad Deum, quemadmodum per consiliarios ad regem, & principes.

Divus Ambrosius in comment, in Epistolam ad Romanos. Cap.1. ita respondet.

Solent tamen pudere passi, neglecti Dei misera uti excusatione dicentes, per istos posse ire ad Deum, sicut per comites peruenitur ad Regem. Age nunquid tam demens est aliquis, aut salutis suæ immemor, vt honorificentiam Regis vendicet comiti, cum de hac re, si qui etiam tractare fuerint inventi jure vt rei damnarentur majestatis? Et si isti non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto domino conservos adorant: quasi sit aliquid plus quod servetur Deo?

Nam ideo ad Regem per tribunos & comites itur, quia homo utique rex est, & nescit quibus debet Rempub. credere, ad Deum autem quēque nihil latet, omnium enim merita novit, ad promerēdum suffragatore non est opus sed mente devota, ubicunque enim talis locus fuerit ei, Respondet ille, hactenus Ambrosius.

Longè autem major furor est Idolatricus quod docent, & defendunt eodem genere cultus, imagi-

nes esse venerandos, ut res ipsæ quarũ sunt imagines, quod enim negant huic imagini vel statuæ honorem exhiberi, sed illi tantũ, quē imago designat, Inanis, & calva est excusatio, pugnatque hæc opinio cum verbo Dei, prohibuit enim Deus honorem imaginibus, non vult, ut ullo modo, vel nudato capite, vel flexis genibus, vel prostrato corpore aut quocunq; gestu imagini honor exhibeatur, sed vult ut veri adoratores illum solum cũ filio suo Ihesu Christo, & sancto spiritu adorant in spiritu & veritate, nec ad statua procumbant.

Et certè eadem hæc fuit olim Ethnicorũ excusatio, sicuti Augustinus in 2. Concione, super psal. 31. refert. Nec quisquam dicat cum irrisa fuerint simulachra, non hoc visibile colo, sed numē quod illic habitat visibile.

Ethnici in omnibus nationibus, habuerunt varia variorum numinum imagines, Germani præ cæteris coluerunt bachum, cujus simulachrum passim in vineis & agris fuit positum, adusque Caroli Magni tempus, qui omnibus in locis, præsertim per Westphaliam loco Bachi cruces erigi jussit, igitur hodie in Westphalia, ubi altissimæ juxta vias cruces inveniuntur, si quæsieris quid sibi hę cruces velint, Rustici respondent, **het is een Baeck**/ ita adhuc alludunt ad nomen Bachi, similiter nautæ signa in mari aut fluuijs posita, ut vadum tenere possint Baack à Bacho nominant, ubi olim Bachi

Idolum

idolum positum fuit.

Quinetiam Bacho in alijs locis Altaria erecta, cultus Deo similia sunt præstita, ita vt quarundam locorum nomina idipsum hodie indicant.

In Palatinatu civitas est ad Rhenum, quæ Bacharach, ab Ara Bachi dicitur, haud enim procul ab ea vrbe, in medijs Rheni fluctibus, in Petra Arã Bachus habuit, cujus vestigia hodie cum Rhenus decreverit videntur, ab qua ara, urbs nomen habet. Sunt ibidem præterea tres loci, qui una cum urbe hac unã Rempub. constituũt primus hodie manubach appellatur, quasi manus Bachi, eò quod Bachus ibidem plena manu vinum fundat, secundus dicitur diepach, quas idigitus Bachi. Tertius hodie Stegen id est Scala Bachi nuncupatur, hic locus in ima valle positus, atque ex eo per gradus in civitatem Bacharach ascenditur, in his quatuor locis hodie laudatissima vina nascuntur, quodq; valde mirandũ, cũ in proximis agris, idẽ sit solũ, eadẽ plantandi stercorandi, atque fodiendi sit ratio, non tamen bonitate ad illorum vina accedant, cum etiam ultra mille passus ab quatuor istis locis nõ absint.

Et credibile est Germanos semper bibaces & ebriosos fuisse, cum Bacho tot tantosq; honores exhibuerint, cujus vitij & hodie ab alijs nationibus insimulãtur, quemadmodũ, in Aula cujũsdã principis, depictum vidi Hispanum juxta germanũ virum, ibidem quoque pictum qui germanum Car-

mine subscripto ita alloquebatur.

Germani cunctos possunt perferre labores
O utinam possent, tam bene ferre sitim,

At germanus Hispano suæ gentis vitia Carmine apte obijciens, respondit

Vt nos dulce merum, sic vos Venus improba torquet
Iulia lex veneri posita, nulla mero.

Anthonium quoque passim per Westphaliam singulari quodam pietatis zelo colverũt, ita ut fere in singulis pagis porcum quendam in ejus honorem, monachorumque commodũ alerent, hoc modo; porcus à teneris ungictilis tintinabulum collo appensum habebat; assuefactus ut singulis diebus, domatim à, Rusticis cibum, panem præsertim peteret, idque sine ductore; pinguefactũ hunc porcum singulis annis 17; Ianuarij die, qui dies huic illorum sancto sacer erat, & summo studio cõpotationibus, rixis, pugnis, saltationibus, atque impuris & impijs in Deum actionibus colebatur abducebant, quique hunc diẽ negligentius quã est dictũ celebraret, aut porcũ in dando ciboneglexisset, impius & in Deũ, & Anthoniũ habebatur, veritus quoq; ne Anthoni⁹ ædes ei⁹ (nã sacrũ ignem habet) inflãmaret, & corp⁹, porcũ hũc pinguẽ ablatũ, aliu substituebant, fœlicemque sese judicabat ille Rusticus qui ex suo gerege alium porcellũ dedisset.

Accidit vero ut semel 17. Ianurij die Monachus non ex familia Anthonij, sed Francisci in pagum

quen-

quendã, per ejus loci parochũ vocatus esset ut concionaretur, is inquam monachus, stati post exordiũ admonuit auditores, ut attenti audirent, & exciperent dicta, velle se in fine cõcionis, illis de diuo Anthonio quædã dicere; concione finita, vachinquit oblitus ferè eram promissionis, velle me scilicet quædã vobis de Divo Anthonio dicere, simulque digito cõmõstrans illis imaginẽ, sive idolũ Anthonij ligneũ satis magnũ, dicẽs, videte hunc bonum Anthoniũ, cujus quidẽ Fratres in vicino nemore (nominans nemus quoddam glandiferũ pago vicinum) pingues faciũt porcos, hic vero pingues facit sacrificos, & Monachos, sicque dimisit illos.

In hanc vero sententiam, Poëta quidam non illepide lusit, his versibus.

Diceris Anthoni porcos pavisse bubulcis
Vivus adhuc, Monachos lumine cassus alis
Par stupor ingenij est, ventris q́; abdomen vtris q́;
Sorde pari gaudent, ingluuie q́; pari
Nec minus hoc brutum genus est mutum q́; suillo
Nec minus insipidum, nec minus illepidum,
Cætera conveniunt, error tamen unus in illo est
Debuerat Monachis, glans cibus esse tuis.

Aliud ejusdem.

Credibile est circen mutasse potentibus herbis
Inque monachos sues, inque sues monachos.

Aliud in eosdem.

Sanctus Dominicus, sit nobis semper amicus,

 Cui

Cui canimus nostro, præconia jugiter rosto
De cordis venis, siccatis ante lagenis
Ergo tuas laudes, si tu nos pangere gaudes
Tempore pascali, fac ne potu puteali
Conveniat uti, quod si sit undiq; muti
Semper erunt fratres, qui nil curant nisi ventres.

Sed redeamus ad Augustini responsa, supra ex psal. 31. ubi inquit, videntur autem sibi purgatioris esse religionis, qui dicunt, nec simulachra, nec dæmonia colo, sed per effigiem corporalem ejus rei signum intueor quem colere debeo. Vbi ad falsos hujusmodi idolomaniæ prætextus, & excusationes, respondet: & irridet eos & refutat, dicens. Illa causa est maxima impietatis insanæ, quod plus valet in affectibus miserorum, similis viventi forma, quæ sibi efficit supplicari, quam quod eam manifestum est non vivere ut debet à vivente cõtemni, plus enim valent simulachra ad curvandã infœlicem animã, quod os habent, oculos habent aures habent, nares habent, manus habent, pedes habent, quam ad corrigendum, quod non loquentur, non videbunt, non audient, non odorabunt, non contrectabunt, nõ ambulabunt, igitur sequitur ut illud quoque fiat, quod in hoc psalmo sequitur, ut scilicet similes illis fiant omnes qui faciunt ea, & omnes qui confidunt in eis.

Videant ergo isti Apertis & sentientibus oculis & adorent clausis & mortuis mentibus nec viden-

tia nec viventia simulachra.

Rectè ergo fecit, & hoc nomine à spiritu sancto commendatur, pijssimus & sanctissimus Rex Hiskias: quod serpentem æneum, Dei mandato factũ, quique typus venturi Messiæ confregit, cum ad cultum prostaret.

Quæcunque igitur afferuntur pro sanctorum invocatione, mera sunt figmenta humani cordis, & somnia, contra Dei verbũ. Vt Augustinus in libro de de cura pro mortuis dubitanter affert an ab Angelis, vel ab ijs qui hinc emigrarunt audiatur.

Pontificij (vt quidem flavinus dicit) fingunt & nugãtur videre eos ista in speculo Teinitatis. Quibus omnibus illud Esa. 63. oppono: Abraham nescit nos, Israel nos ignorat.

Hic aliqui obijciunt, non intelligi hoc Esaiæ dictum de notitia, sed tantum de affectu, quod videlicet Patriarchæ noluerint suos amplius pro veris filijs agnoscere, sed frivolum id est, & nugatorium. Quomodo enim hæc tanta crudelitas in sanctissimos caderet Patriarchas, apud quos charitas non extinguitur, quod eos nollent respicere, quos Deus ipse pro suis agnoscit?

De diabolorum circa hanc materiam præstigijs.

CAP. VI.

AD stabiliendam idolatriã vetus ille artifex sathan, sua utitur industria, in monstrandis idolis quemadmodum olim illum fecisse historiæ docent. Epitheles instaurator civitatis Messenæ in Græcia, post messenorum reditũ ex exilio moneri in sommo visus est divinitus, ut in quocũque loco Ithonæ, Taxum enatam reperiret & Mirtum, terra in medio harũ effossa Anum liberaret, quæ æneo urno inclusa, jã penè dificeret: cum illuxisset dies, perquisito loco & invento, terra effossa est, incidit in ęneũ vas, amoto operculo, tenvissimas albi plumbi laminas in libelli formã complicatas offendit, quibus sacrificia magnorũ deorum inscripta erant. Horũ restitutionẽ requisivit sathã, ne interciderent, & exolescerẽt neve ulla ex parte idolatria diminueretur. Neque destitit sathansui imperij jus vegere ac defendere, sæpe enim Arocibus exemplis editis in eos qui ipsius templo vim intulissent, testatus est hanc sibi ædẽ curæ esse, crudelissimis supplicijs phocẽsiũ duces qui in bello peloponesiaco tẽpli delphicis opes exhauserãt affecit, ut recitat pausanias in phocicis. Talibus præstigijs auxit fidẽ & authoritatẽ suis templis, & oraculis.

Quemadmodũ verò Messenijs sacrificia deorũ gentilitiorũ ostendit per. Epithelem, sic hoc tẽpore antè non multos annos Opilioni in Brabantia

in lo-

in loco qui Scharpenhovel nominatur idolum nõ magnum quodem, Mariæ monstravit quod ab idolatra quodam, cum in Brabantia imagines ex templis eycerentur in arborẽ fuit abscõditũ, mõstravit, jãq; sacrifici divinit⁹ & è cælo missum esse fingunt, hacq; occasione sathã, sua scelera tegit, suaq; sacrificia, quæ ibidẽ cũ nomini Divini contumelia fiũt cõfirmat sub prætextu enim sanctitatis, & devotionis (vt vocant) teterrima, & horrenda, atq; hęc impunita perpetrantur.

Horrendæ hic quoq; in Deũ blasphemiæ fiunt perq; totã Brabantiã, Flandriã, Arthesiã, imò per Hollandiã à multis innocatũr & colitur hoc idolũ, plane Ethnicorum modo, & superstione. Neq; alio modo pontificij, suos Deos colunt, quã olim ab Æthnicis hoc factum esse legim⁹ neq; ferè pauciores Deos quam Æthnici olim habuerunt, adorant.

Conferamus igitur pontificorũ festa, cum Æthnicis, Græca quorum post Ægiptios, præcipua fuit vanitas, varios habuerũt Deos, qui cœlo jovẽ, Mari neptunum, intimis terræ recessibus plutonẽ præfecerũt, alios infinito numero adiunxerunt, saturnũ & cybelẽ jovi, Mercuriũ, Apollinem, Martem, junonẽ, Minervã, Venerẽ, Dianã, Neptunũ, Nereũ, quẽ alim oniã, & porcõ nominarunt, latini portũnũ, & cohortes Nympharũ, quarũ aliæ Nereides Naiades, potamides, alia fontanę vocatæ sunt quod vel mari, vel fluminibus, vel fontibus

insidere ac præesse putarentur, colverunt & Alsitidas Nymphas ὀρεάδας driadas amadriadas, Napeas, Agapeas quod in corporibus numen adesse putarent, similiter pōtificij, singulis morbis atque malis singulos Deos, atque salvatores præfecit, vt supra demonstratum est. Nec pauciores olim Deos Romani habuerunt, inter quos recensentur Dij majorum gentium, juno, vesta, minerua, ceres, Diana, Venus, Iuppiter, Mars, Apollo, Mercurius, Neptun⁹, Vulcanus, Pœnates, Iuno, Minerva, Dij communes, Mars, Bellona, & Victoria, Dij geniales Terra, Aqua, Ignis, Aër, Sol, Etluna, quibus natali die quisque sacrum faciebat, & rerum gignendarū vim habere credebantur, genij duo, & lares, quos privatarum rerum, triviorum, viarumque & urbium curam agere opinio erat, unde & pręstites, & inferiorum, ac minorum gentium Dij nuncupabantur, Dij indigetes, qui ex hominib⁹ propter, eximias belli ac pacis artes ac benemerita inter Deos erant relati: Dij Patrij & tutelares, & reliquum genus faunorum, satyrorum, & lemurum.

Varro qui præcipua numina Æthnica conquisivit diligentia supra 300 commentitiorum numinum se reperisse ait.

Ægiptijs 66 genera facrificiorum In usu fuerūt. Romanis & græcis non multo pauciora, vt sunt.

Agonalia, Dapsa, Farrationes, Hecatomnia, Hostia, Hyacinthia, Armilustria, Lupercalia, Novendialia,

dialia, Niſtiluca, Palatilalia, Paſtillaria, Popularia, protervia, Solitaurilia, Stata, Rubigalia, Fontanalia, Ormia, Parentalia, Feriæ, Inferiæ, Cenſualia, Lampteria, Amburbia, Ambarvalia, Vinalia, Orgia, Latialia, Dianæ, Taurica, Bachanalia, Trieterica, Liberalia, Cocytia, Fordicidia, Ordicalia, Lemuralia, Saturnalia, Cerealia, Adonia, Theonia, Laurentalia, Opalia, Palilia, Quirinalia, Vertumnalia, Quinquatria, Diapalia, Diacia, Hermea, Nœmea, Mytriaca, Palogogia, & plura alia, quibus Sola anima Dijs conſecrabatur quæ hoſtia animalis dicebatur.

Iam mihi animadverte papatum, quot feſta ſuis Dijs & Idolis, ethnicorum ferè more, & ſuperſtitionibus inſtituerint, atque ab anni initio ordiamur, primo Ianuario die, quo Chriſtus Servator noſter circumciſus eſt, quanto ſtudio, ad novi Anni memoriam, adque ad Rubiginem, in arboribus fructiferis depellendam, eas ſtramine circũligant, Apum item examina circa noctem, mediã, alloquuntur, atque exuſcitant.

Hocque arboribus multiplicem adferre fructificationem, apibuſque ſanitatem, & robur adfirmant, ſequitur poſt 6. Ianurij Dies, qui Regũ vulgo dicitur, ibi tum domatim, Rex, Regina cũ tota familia legitur, magnaque celebri tate convivium inſtituitur, in quo Rege bibente, omnes aperto capite clamant Rex bibit, quique hunc clamandi

morem neglexerit, inciviliatis accusatur, atq; magnum cyathum exsorbere cogitur.

Ternas quoque candelas in honorẽ trium regũ, quos ad adorandum Recens natũ Christũ venisse credũt, incendũt, easq; juxta vitreas collocant fenestras, vt videas quibus in lochis Bacho sacrificent.

Pontiani diem 14 Februarij die habent, ibi tunc Viri mulieribus Vina, aliaque dona, aut ipsi deferunt, aut mittunt, largius tunc potatur decimo octavo vero, qui Virgini Agnetæ dicat⁹ est dies, Mulieres Viris similia dona deferunt ac denuo potãt.

Altero Februarij die, quo Maria domini nostri mater, juxta ritum legis Mosaicæ, post puerperium purgata est. Deus bone, quot tunc cereos, lãpades, & faces urunt, cumque ijs, circum illorum templa, magna cum pompa, majore cantu, cum Thuribulis, magnificè vestiti eunt hancq; diẽ mirũ in modum cantionibus, cereis, & nolarum boatu alijsq; ceremonijs colunt.

Bachanalia Ethnica, Orga, & Vinalia ad 18 Februatij diem celebrant, haud aliter atque olim per Græciam, & Romæ quoque celebrabantur, atque vt Ovidius lib. 4. Metamor: hoc festũ describit: sic hodie illi qui Christiani se esse dicunt, sequuntur.

Festum celebrare sacerdos,
Immunesq; operum famulasq; dominasq; suorum
Pectora pelle tegi, crinales soluere vittas.
Iusserat.

Ab ijs quoque qui Ecclesiæ reformatæ membra haberi volunt, non negligitur.

Vigesim⁹ secund⁹ Februarij, dies, Petro Christi Apostolo sacer est, eò quod Petrus ipso die Romæ, in Cathedram papalē primum sit impositus, cum neque ex sacris literis, neq; ex historicis probatis, constet, Petrum unquam Romæ fuisse.

Hic, mane Rustici ante solē orientē circū ædes currunt, in feriores ædium partes feriunt, atq; buffones ut exeant vocant ut toto illo anno à buffonum tuti sint veneno, à meridie vero stramineis clavis contortis ut caleant, sese mutuo verberant.

Gregorij dies qui incidit in 12 Martij diem hic qui & æquinoctialis est, scholasticis quoque sanct⁹ habetur, tunc enim vicatim eunt canentes, novosque schelasticos, ex ædibus parentum, pompa aliqua ad scholas perducunt.

Decimus octavus quem Rosæ diem dicunt cū is adest, pueri stramineas cruces longurijs impositas, extra civitatum, & villarum portas exportāt, atque exurunt, postea tripudiantes redeunt, patrioq; carmine æstatis laudes celebrant, hiemique quem eduxisse gloriantur maledicunt.

In Norvvegia, Livonia, atque in cæteris septentrionalibus locis, eo ipso die, duo exercitus ē civitatibus prodeunt, quorū una pars pelliceis vstimētis, ut in hieme ducissima fieri consuevit, sunt induci, atq; hi hiemem repræsentāt, Altera pars lino

vestiun-

vestiuntur levissimo vt in æstate homines solent inque calore solis ardentissimo, atque hi æstatem repræsentant. Hi duo exercitus pugnant, ęstas ramulos virentes betulæ, quos in hypocaustis ad fornaces foverunt, ut frondescerent, sęcum armorum loco portant.

Hi contra, globos ex nive, atque dependentibus è tectis stirijs loco hastium præliant, cumq; depugnatum est, atque penes æstatem victoria, manet, magna pompa & ovatione æstas civitatem ingreditur, atque ab civibus excipitur, magno cum gaudio, captiuam hiemen pullatis secum ducit vestibus, quę se, data pecunia, in libertatem emit quã pecuniam, postea hilares absumut.

Quo dię Dominus noster est cruci propter nostra peccata affixus, qui incidit plerumque in 25 Martij diem.

Atque in memoriam, passionis, crucifixionis, & sepulturæ, multis locis virum nudum, qui vix pudenda tegit, mira quadã arte in sublimè cruci affigunt, huic mulier quædam quę in modum veneris ornata est, Mariam Magdalenam repræsentat, hi curru vecti, ut ab omnibus conspiciantur, qui homo postea ab cruce liberatur atque abit, in ipsius vero locum idolũ ligneum in sepulchrum collocant, quod deinde in dię pascatos noctu circiter aurotam magno cum gaudio sepulchro eximunt, huncque suum gaudium campanarũ boatu, cantuque

tuque deſignant.

Maij die primo quî duobus ſanctis Philippo & Iacobo ab illis dicatus eſt, ſummo mane, albeſcente jam die frondes arboris, quę fraxim⁹ bubala ab Gaza nominatur, his frondibus, pecora eo anno mactioni deſtinata leviter, verberant, atque ſanctos illos Philippum, & Iacobum vt pingueſcant precantur.

Rorem quoq; qui ea nocte in gramina, & herbas cecidit per linthea, diligenter collectū ſervant, cum illo ſe contra ſcabiem illinunt aut nudi in illo ſeſe humi volutant.

Sexto Maij die, quo Salvator noſter, ad cœlum aſcendit, in templis illam ſalutarem Chriſti aſcenſcionem imitantes, idolum ligneum, ad hoc præparatum, & funi alligatum, ſupra teſtudinem templi ad ſe trahunt, deinde ſaltationibus, potatione, rebuſque turpiſſimis diem illum tranſigunt.

Iohannis Baptiſtæ feſtum quod 24 Iunij die ab pontificijs non ſine magna colitur ſuperſtitione, tunc enim albeſcente die, ædium fores, atria, & circum focum, Artemiſiam herbam, Ramos juglandæ nucis ſuſpendunt, his lemures, ſathanamque abigi credunt herbam quoque quæ craſſula major, aut faba dicitur inverſa hanc.

In ſingulis ædibus, ſingulis hominibus, plantulam, in rimulos parietum, & murorum, nominato homine, in hunc modum, hanc plantam, pro illo-

aut illo pono, si quæ marcessit, aut emoritur huic cui posita fuit, eo anno moriturum vaticinantur.

Ignem quoque in omnibus locis extinguunt, atque ligno quodam durissimo aliud mollius lignum addito fomento fricant, donec ignem eliciant, ex hoc igne rursum focum accendunt huncque ignem sancti Iohannis nominant atque sacrũ habent.

Septimum Iunij diem, sacramento, Deo scilicet Maosim sacer apud ponti ficcios est, sed hujus festi originem Paulo altius repetam, Vrbanus quartus pontifex Romonus anno Christi 1264 primum instituit illumque sacrum haberi voluit. Clemens postea ejus nominis quintus anno Christi 1311. in concilio Viennensi omnibus hoc festum celebrantibus, multorum annorum peccatorum remissionem promissit, vt Patet iu clementinis. lib. 3. titul. 16. ubi catholicum quendam per quietem iu somno vidisse ait, quomodo hoc festum celebrari oporteat, anno vero Christi 1360 institutum ut Deus Maosim, sub tabernaculo quodam, cum vexillis templorum, auro aut argento inclusus gestaretur in processione (ut vocant.) Hac pompa primum in celebrioribus locis prodeunt opificum tribuni, suis ornamentis, & insignijs, cum vero singuli tribus, singulos habeant patronos, ij qui sunt ornatiores, unâ portantur, seniores ex

tribu-

ritibubus ardentes faces manibus portant, Adoleſcentes quoque & puellæ eximiè ornati adſunt, quarum una refert Mariam, altera Mariæ Magdalenæ vices agit, Adoleſcens Georgium agit totus cataphractus & haſta formidabilis, adſunt & Angeli, & Diaboli, pone ſequuntur cives, plerique ſagittarij, eumque qui proxime ligneam avem decuſſit deducunt, cui diverſis in locis, honoris ergà vinum offertur, eumque Regem appellant, jam ſcholaſtici, cum ludimagiſtris, qui varia cantant, hos ſacrificorum cohors levitico more veſtiti, portentes manibus aurea & argentea idola, præeuntibus templorum vexillis ſequitur, poſt diverſi generis monachi, Raſam illam colluviem antecedit crux, quam ſcelerati, atque facinoroſi ex voto quodam ſua plangentes ſcelera, ſeminudi, abſque calceis ſequuntur, atque ita elui, atque deleri eorum putant peccata jam ſequitur Deus Maoſim, portatus à paſtore ejus loci ſub tabernaculo aureo, quod ab viris honeſtioribus portatur, præeunt Tubicines & tibicines, circum hunc ordinem, apparitores magnis baculis armati, expectant, an aliquis, illorum Deum Maoſim negligenter adoret, ut vi adigant in genua vt procidat, atque hac pompa, per loca celebriora urbium oberrant.

Decimo deinde quinto die Auguſti, ſingulari ſu-

ri superstitione, Mariæ ascensionis festũ celebrant, in hunc modum.

Post decantatam missam, Mariæ Idolum pulchrè ornatum à duobus circum templum, præeũtibus cæreis, & thuribulo portatur, sequitur populus, Baalitæ inter eundum consuetas de Mariç laudibus boant cantiones, interim populus præparat, frondes omnis generis, puta Absinthium, Artemisiam, Hypericon, frondes quoque arborum, ut lustrali adspergantur aqua, singuli, sua habent fascicula, à sacro, sacrificus in locum editiorem ascendit, atque è sublimi demurmuratis prius precibus, hæc omnia aqua aspergit, nam quisque suam fascem extollit, quamuis vero maxima pars aspersione illa non, aut vix attingitur, attamen inter sacratissima habentur, si tempectas, tonitrua, aut fulgura ingruant, hæ res uruntur, atque fumum ex hisce rebus tempestatem, ne noceat cuiquam, tollere credunt.

Lemures quoque, & spectra, imo ipsum Sathana fumo hoc abigi adfirmant.

Decimo octavo Iulij panthaleoni sacer est, crudam tunc suillam cum allio comedunt atque hilares, vino aut cerevisia sese implent, pueri vero, ramos arborum, pomis, piris, ficis, alijsque reb⁹ onustos, in templa ad Altaria deferunt, ut à sacrificis benedictionem habeant, atque tunc sancta habentur.

Habent

Habent præterea 18 Septembris festum Nativitatis Mariæ, quod magno celebri tate, cantionibus atque invocatione, cum veri Dei oblivione, transigitur.

29 Septembris invocant Archangelum Michaëlem, eoque hunc dient dicarunt, atque ab omni labore quoque cessant.

Quam studiosè Nicolaus colatur, die 6. Decēbris omnes, & pueri norunt, qui tunc primam idolatriam, discunt. Nicolaus enim illis (ut parentes dicunt) multa donaria clam noctu adfert, eamque ob causam, ut aliquid muneris accipiant illi ad exortum stellarum jeiunant.

Postremus est Thomas, tunc enim pueri scholastici, præceptores è Schola depellunt, ipsi canēdo ligna, āliaque quo ignis alitur domatim colligunt, magnum incendunt ignem impune potāt, & multa insolentia vivunt. Certe Æthnicorum more in pontificiorum festis diebus viuitur.

Et si quis illorum acta, illis præsertim diebus, qui illorum divis, & sacris sunt dicata, animaduerterit, is profecto, plusquam lethæam oblivionem veri Dei, Christi mediatoris, totiusque sanioris doctrinæ inveniet, plurimorum animi, in Æthnica de statuarum invocatione sunt demersi, quibus non Deum ipsum, sed sanctos suos addesse, ducti errore credunt, auget hunc errorem atque cæritatem sathan, nam cantu, voce, capitis nutu, aversione,

inversionæ ad latera, mavum gesticulationibus, aut alijs motibus mira arte in imaginibus per monachos sacrificos, & illorũ artifices erant efficta. Quę omnia erant signa aut gratiæ, aut iræ. Exempla harum rerum hodie in Brabantia, Colonia, alijsque locis pontificiorum idolis obsessis extant.

Nonne hodie auspicaturi aliquid ij qui Romani pontificis sunt clientes, statuas certis in locis salutant? illi vero prostrati ante statuas jacent, quid hi ab Æthnicis discrepant?

Manebit hostis Dei, & Ecclesiæ Christi Sathan, usque ad finem rerum, nec eorum aliquid quibus labefactare, aut in quinare inter homines Dei gloriam se posse arbitratur intentatum relinquet, præsertim ubi accomoda illius rei organa habet. Quare precandus est Deus, ut Sathanæ studium retundat.

Animaduerte sathanæ solertiam, & industriam patrum nostrorum memoria, ubi multos ad sola vota sanctis facta, templisue idolorum aut ex contactu ossium, quæ de sanctorum corporibus relicta esse credebantur, recuperasse amissam valetudinem & integritatem, Diabolo sanitatis restitutione stabiliente idolomaniam. Imò inde nata opinio, plus valere, longeque validius corporis morbos atque vitia tollere, sola vota sanctis facta, & statuis, quam medicorum arte & medicina, eoque res processit ut si quid mali acciderit, non divinum

vinum invocabant nomen, sed sanctos: quos tali malo dominari credebant. Negligebatur interim Deus & Medicina, tandem voti compos factus, cū persolueret vota, creverunt templorum opes, & superstitiones.

Arrogant sibi diaboli ex vaticinijs rerum futurarum divinitatem; vt videre licet ex Apolline Delphico & alijs, hoc autem, est Solius Dei, futura annunciare, quare se discerni vult Deus ab idolis, dæmonibus; & vatibus diabolicis gentilium.

Neque sathan alia prædicit nisi quæ illi à Deo permittuntur, neque hoc semper verum raro scit, & Deus sæpius ipsius conata, etiam in medijs operibus reprimit, ut non possit perficere quæ tentat, hocque scit sathan, ideò dubia reddit & ambigua responsa, & oracula, adeoque flexiloqua ut facile in utramque partem detorqueri possint: Qualia sunt? Ajo te Æacida Romanos vincere posse. Item Crœsus Halim penetrans, evertet magnam opum vim, id est non cyri opes, contra quem expeditionem suscepturus erat, id vero dubium erat responsum, & ambiguum, vt quocunque modo caderet, tamē mendacij argui non posset, mendaces sunt diaboli, ideo ab; illis veritas non est petanda.

Etsi diaboli nō sciunt quid homines animo voluunt, tamē de impijs quos in sua habent potestate multa sciūt, quia immittūt, & suggerāt ipsis multa, sicut in Iudæ cor immisit ut Christum proderet,

& propiores sunt ipsis quam putant.

Concessum tamen Diabolo est interdum vera dicere, ut mendacium suum rara veritate apud impios commendet.

Etsi sathnæ quoque major est calliditas quã ull⁹ hominũ cogitationib⁹ suis assequi & metiri possit, major in struendis insidijs, & observandis nocendi occasionibus, quam prouidere, aut cavere quisquam possit: Tamen certò scimus nec omnipotentem esse, nec infinitam ei licentiam statuendi suo arbitrio in imbecillos à Deo permitti. Sed velut freno vinctum à Deo omnipotenti, & cohercceri ne ultra determinatas metas provehatur aut extra metas currant.

Sciunt dæmones, & in quotidianis certaminib⁹ cum sanctis Angelis experiuntur, consilia conatusque suos, multis modis impediri & retundi divinitus.

Quandoque recitat sathan & approbat moralia præcepta, ut in hominum animis superstitione imbutis, & in falsam magnæ religionis opinionem adductis, conceptos furores amplificet & altius infigat, dum consentanea religioni, & bonis morib⁹ requirere, & contraria improbare, ulcisci & punire se ostendit.

Sæpe morbos ipse infligit, & postea medetur citra pharmacorum ope, aut remedia commoda suppeditat.

Quan-

Quanquam enim destructam naturam nunqaum instaurabit, labes tamen & adfectiones insignes, præsertim si sit earum autor, Dei tamen permissu, tollere potest.

Exactius enim herbarum discrinima vires, in medicando usum, applicandi rationem & modum novit. Certius abstrusas penitus, & abditas morborum causas intelligit, quam hominum quisquam.

Et ut nihil intentatum relinquat, prævisis hominum fatis physicis, non quiescit nec cessat, aut ociatur hostis hic, sed naturas meliores depravare, adque lasciviam, aut alia hujusmodi flagitia instigare annititur, labefactis aut extirpatis sanioribus inclinationibus, in illis, quorum naturæ ad libidinem proclives sunt, objectis occasionibus flammas furiosas amorum incendit, astuantes mox impellit eò, ut sese fœdissime polluant, nullis cogitatis vel pœnis vel periculis.

Nutara inordinatos extimulat ad ea quærēda quibus delicatam ingluviem expleant, & in iisdem illecebris propositis commovet ad in ordinatos cibi potusque adpetitus: ac confirmat helluationem, & luxuriæ consuetudinem, sic quoque ad omnia alia peccata occasionem præbet, ut postea illos vel in Dei horribilem contemptum, vel desperationem adducat.

Multa quoq; imperiorū urgēt exquūtur & moliūtur demones, negotia, ea prasertim quę mutatio-

nem, interitum, aut clades insignes, & calamitates adferunt: ut hac occasione plurimos publicis & communibus malis involutos simul, perdant, & cum Deus alias alijs de causis grassari diabolos sinat, edere de talibus etiam vaticinia possunt.

Sed quanquam Deus suo consilio & nostro merito permittit, ut demones Tyrānidē exerceāt suā, tamē moderatur, inhibet, ac restringit conat⁹ eorū certis limitib⁹ præfixis, alias laxat habenas: neque semper diaboli eventū, sciunt, ideo quoque illorū responsa ancipitibus amphibologijs obscu.ant.

Interdū cum norunt eventus, tamen quia mendacijs, irrisione, ac deceptione hominum delectātut, vel dubijs vocibus, vel ironijs homines vexant, ut in phytonissis qui furta indicare volunt sæpissime est compertum.

Non pauca conjecturis colligunt ex periodis fatalibus, quibus imperia divinitus compræhensa esse ac definita, inde usque à primis temporibus longa observatione didicerunt.

Testantur histotiæ omniū temporum, si à prima antiquitate repetantur, Regna & Respub. potētiores quingētis annis plerumq; floruisse plurima vero hūc terminū nō attigisse, nulla aut pauca superasse, sed in ipso pène quingētesimi anni articulo, vel aliquantò ante mutationes incidisse, quibus vel eversa regna ac deleta funditus, aut oppressa, vel translata sunt alio, desierunt vel in nova

sint

sint commutata formam.

Anno ab exitu populi Iſraelitici ex Ægypto quadringenteſimo octogeſimo, cœptum eſt primū tēplum à Salomone, & tanto ferè ſpatio temporis, rexerunt populum Dei duces & judices.

Idem templum anno quadringetiſimo viceſimo ſecundo poſt, Nabuchodonoſor Rex Babilonis direptū, ac dirutū ſolo æquavit, totūq; regnū judaicū abducto in captivitatē Rege Ezechia, ſuſtulit, ac delevit, quod floruerat annis quingentis & quinq;, à ſaule, ad ultimum Ezechiam uſque.

Secundum templū, quod Iudæi reverſi ex captivitate Babylonica, Cyri Iuſu conceſſuq; ſecundo à reditu anno inchoarunt, ſed impediti viceſimo primo demum anno abſoluerunt, Annos quingētos integros ſtetit.

Anno quingenteſimo primo, à prima inſtauratione, Herodos Rex Iudæis gratificaturus totum renovavit, & magnificè exornavit, annis ante natū Chriſtum quindecim, hoc tandem Veſpaſiani imperatoris filius Titus, capta urbe incenſum delevit funditus, liberationi populi ex captivitate Babylonyca, & Chriſto nato interceſſerunt anni quingenti & triginta ſex.

Annos quingētos & viginti Aſſirij tenverūt Aſiam, poſtea Medi eam occuparunt, illis excuſſis.

Annos quadringentos nonaginta, duravit regnū Athenienſium, à cecrope ad codrum uſque.

Totidem annos lacedæmoniorum Respub. à lycurgo constituta qui & leges quoq; spartanis tulit, & sanxit, duravit ad Alexandri ætatem usq;, sub quo concidit.

Annos quadringentos triginta, posteritas Aneæ dominata est albæ, his exactis, condita est & crevit Roma.

Annos quadrigentos sexaginta duos duravit Aristocratia Romæ, quam post ejectos Reges Brutus instituerat, in qua rexerunt Rempublicam cõsules, hac abrogata, Iuli⁹ Cæsar cum Rempub. oppressisset, Monarchiam sibi confirmavit.

Et congruunt in recentiotibus Historijs annotati peridi, anno quingẽtesimo secundo Iulij Cęsaris Monarchię, capta est primum & horribiliter vastata Roma à Genserico Wandalorum Rege.

Mox sequuti Gothi Italiam ab imperio Romano auulsam duriter affixerunt, usque ad Carolum Magnum.

Annis quingentis ferè elapsis ab eo tempore quo Constantinus imperij sedem Constatinopolim transtulit relicta Italia: Carolus Magnus victis & domitis Gothis, imperium occidentale in libertatem asseruit, & instauravit, is & Regni Vngarici fuit periodus.

Ita arguta solertia, duce experientia successiones in principum familijs, & privatorum, certo circum scriptas periodo. Sathan animaduertit, qua decursa

& ex-

& exacta desinant.

Parentum quoque dignitates, potentia, opes, & quicquid est ejusmodi, ferè cum liberis interidunt & emoriuntur; aut ab his devoluuntur ad alios.

Davidis potentia cum Salomone filio floret, eo sublato dividitur & frangitur.

Cyri potentia, post Cambysen defertur alio, Philippi Macedonis inchoata fœlicitas, cum Alexandro filio completur & desinit.

Vespasiani cum Tito, Marci Antonini cum cõmodi, Valeriani, cum Galenio, Cypsili Corinthij cum periandro, Attali pergamensis cum Eumene, & juniori Attalo filijs finitur potentia & cessat.

Quod si hos transit limites & pro pagatur, ultra ad atnepotes, & trinepotes rarissimè extenditur, frequentissimè autem, in ipso articulo successionis abnepotum & trinepotum incidunt conversiones, quibus aut exvuntur acceptis à parentibus fœlicitate, vel excutiuntur vestigijs, parentum, aut circa hunc terminum deficiunt, & concidunt.

Cræsus abnepes Gygis Regis lydiæ, qui opera candaule Reginæ lydiæ regnum per fraudem obtinuit, dejectus ab regno, capitur.

Post ludovicum quartum imperatorem: Arnolphi filium trinepotem Caroli Magni imperium, quod Carolus sua virtute pepererat, & stabilierat, de illa familia excidit, & ad saxones transijt.

Horum gubernatio rursus cũ Henrico clando,

Henrici Aucupis, primi ex hac familia imperatoris atnepoti, ex Othone Maguo finita concessit ad francos.

Denique intra hos terminos, quos parentes & trinepotes definiunt, tota ferè consistit, & convertitur parentum fœlicitas. Intra hos terminos constitutis accidunt mutationes ut plurimū, quæ fœlicitatem à parentibus propagatam, vel omnem destruunt atque auferunt à posteris, vel languefaciunt, & vix ulli reperiuntur, qui in ijsdem manserint vestigijs diutius.

Talibus usu observatis periodis multa divinat diabol⁹, inde promsit oraculum crœso redditum, & illud de successione oraculū quod cypselio, Corinthiorum Regi relatum legimus.

& tu nati, & napotes.

An patrum, & conciliorum decretis solum sit Credendum.

CAP. VII.

SVperioribus aliquot capitibus de animabus dictū est, has imperitiores redire, vocatas dareque responsa, & multa quæ eventura essent scire atque prædicere crediderunt. Vtramq; opinionem sathan confirmauit, cum responsis: Et cum mortuorum specie in domibus oberrans, ad sepulchra, ijsque in locis in quibus opinio erat animas

evocatas emergere, hocque fecit ut hanc consuetudinem consulendi mortuos contra Dei mandatum ratam faceret, atque excitauit sibi sacrificos & vates, qui sacrificijs solenni ritu institutis & peractis, diris atque execrationibus à mortuis animas educere se credebant, cumque apparvissent percontabantur, cum tamen umbratilibus earum imaginibus Sathanas indutus prosiliret.

Estque hæc vera magia, artificium scilicet à diabolo traditum, quo dæmones moniti aut evocati, confœderatis suis, quibus aut deditione sui, aut alio promisso, susceptis votis sese sponsionibus obstrixerunt diabolis, ijs rursus promissis velle se præstare quæ requirant, quod & sæpe faciunt eousque, quousque condixerunt, suam operam confœderatis, vel ipsis placet stare promissis, vel Deum indulsurum prævident, plerumque vero ante constitutum tempus, violato ac finito societatis jure, socios illos vel ancipitib' falsisve præstigijs ad mentiendum permotos perdunt, & judicibus vinciendos necandosque produnt, vel ipsi dæmones tragico aliquo tristiq; supplicio interemptos, ab ripiunt in æternos cruciatus, hoc postremum præmiorum genus ferè reddunt illis, in quorum animas & corpora plenum jus habent, ac potestatem integram ex deditione, cum vero animas Deo id prohibente

lædere

lædere non possint, corpora cruciant, talis, illorum semper est exitus, tali ministros, ac confœderaros suos mercede donant.

Sed nec una se forma fæderis omnibus devinciunt, neque uno modo requisita præstant, sed alijs aliter, hinc illa specierum magiæ varietas, & diversitas, quarum historiæ meminerunt.

Nec vero Æthnici soli dæmones involutos mortuorum umbris consuluerunt, quos cum nescirent Deum, minus mirum est varios exquirendæ voluntatis divinæ, placandorumque numinum, & explorandorum futurorum modos excogitasse: sed & in populum Dei furor ille pervasit, ut de Saule Israelitarum Rege legimus.

Quinetiam in hoc cœtu qui nomen sibi, & titulum veræ Ecclesiæ Dei vendicavit hoc nostro tempore pervenit, usitatissimum enim superioribus fuisse temporibus consuetudinem ut mortuos interrogarent, & spiritibus crederent, norunt hoc seniores nostri, deq; illa re magna volumina quędam sunt scripta.

Sed quemadmodum nato Christo æterni Dei filio conticuerunt demones ubique, desertisq; nequitiæ suæ latebris cessarunt, non sponte, sed horribili metu omnipotentiæ Christi, & æternę damnationis sui, quam instare jam cernebant.

Sic hac nostra ætate, cum Lutheri opera, & aliorum piorum doctorum, Doctrina de Christo

Dei,

Dei filio, quæ multis annis quasi sordibus oculta fuit, repurgata, & ex tenebris evoluta, atque à cœno errorum penè infinitorũ illuxisset rursum: ibi mox post unum aut alterum annum, tetrâ illa Diaboli ejusmodi ludibria ex locis germaniæ, quibus imperitos homines fascinaverat evanuerunt.

Ex his liquet ejusmodi nugas diabolorum fuisse commenta, quarum usus primo decalogi pręcepto sæverissimè prohibetur.

Atqui in toto Christianismo ita fuit hoc peccatum in vsu, atque à pontificijs doctorib⁹ approbatum, ut etiam in questum ipsi sacrifici ducerent. Impius in Deum quoque habebatur, qui negligẽtius hanc idolomaniam coleret, aut prorsus reycere, nam ea quæ ab patribus, concilijs eorum & recepta erant semel, atque ab pontifice probata reycere, summum erat nefas, quemadmodum Flavin⁹ cap. 19. folio. 141. dicit quod in Ecclesia semel à patribus sit receptum non sit licitum quoquám, in dubium vocare, additque rationem, nam nemo est qui illud quod mater sua cõstituit, resoluat: Ecleast. 1. jam Ecclesia pontificia est mater, spiritualis nostra, omnia igitur quæcunque præscribit sive sit contra Dei expressum mandatum aut non, servanda tamen esse ait, ibidem quoque dicit, Deũm patrem, per suum unicum filiũ Ihesum Christum, & sanctum spiritum, docuisse nos omnia

quæ

quæ quidem ad salutem sint necessaria idque scriptura,& literis,verum Ecclesiam. Docere nos ordinationibus , ac constitutionibus quas nemo transgredere debeat.

Sed an homines qui de æterna sunt solliciti vita cum traditionibus pontificiorum,ecclesiæq; pontificiæ observationibus contenti esse debeant aut possint,ex Lutheri Historia,quid cum illo Wormaciæ sit.Anno 1521.actum, ea de re , quidue ille ad hæc responderit , hocque in præsentia imperatoris Caroli quinti,consessuq; germaniæ principum ex Sleidano audianus.

Lutherus ab Carolo quinto imperatore , Witeberga Wormaciam scripto vocatus,deductus ab caduceatore imperatoris,venit ad 16. Aprilis diem, Anno 1521. postridie vocatus, ubi coram Cæsare ac frequenti principum cōcilio constitit,Eccius jureconsultus Badensis,mandatu Cęsaris verba facit, & duæ sunt ait causæ cur Cęsar de consensu principum omniū ac ordinū,te jussit accersieri Martine Luthere, de quibus ut ex te cognoscā mihi mandavit,primū,an hos libros abs te conscriptos esse fatearis,& pro tuis agnoscas : Alterum an retractare quicquā in ijs,an vero quæ scripta sunt velis tueri ? Aderat Luthero Hieronimus Schurffius jureconsultus Wittembergicus,is librorum in scriptionem recitari jubet & edi,quo facto , Lutherus breviter repetens quod propositū erat,quantū ad libros inquit

quit pertinet, meos esse profiteor & agnosco, sed an propugnare velim quæ scripsi, ut ad hoc legitime respondeã, quando quidẽ res maximi est momenti, & ne quid præcipitanter à me fiat, deliberãdi spatiũ posco. Re cõmunicata, quanquã ait ille, de scripto Cæsaris facile tibi fuit causam cur sis evocatus intelligere, atq; id circo nõ licebat tibi ullã morã interponere, quo minus jam responderes, tamen Cęsar pro sua clementia Diem unum ad cogitandum tibi largitur, & ut cras ad hoc ipsum tẽpus denuo te sistas, & quid tui sit propositi, non scripto, sed oratione testatum facias, jubet.

Quod moram istam adhiberet, plærique putabant non fore constantẽ. Altera Luce cum ad horam adesset, heri non respondebas inquit Eccius, petito ad deliberandum spatio, quod jure quidem tibi denegari poterat: Nam de fide quisque sua, tam debet esse certus, ut cuuis etiam peteuti rationem statim reddere possit: tantum abest, ut tu tam peritus, & exercitatus Theologus dubitare debeas aut responsum aliquod præmeditari: Sed ut cumque sit, age quid adfers, num illa tua scripta vis tueri?

Tum Lutherus ad Cæsarem, & concilium principum oratione conversa, & magnopere illos contestatus, ut & æquis animis & patienter audirent, si quid à me peccabitur inquit. Potentessime

tissime Cæsar, illustrissimique principes, vel verbis minus proprijs, neque tanto consessu dignis vel etiam moribus parum elegantibus atque decoris: totum hoc mihi peto condonari, propter vitæ genus in quo nunc aliquam ætatis partem consumpsi.

Nam certè de me nihil aliud polliceri possum aut testari, quam quod simpliciter hucusque docui, quæ ad gloriam Dei, & ad hominum salutem pertinere credo, de libris meis Hesterno die respõdi, & illos à me scriptos ac editos agnosco, quãquã si quid fortè ab alijs sit adjectum, id minime velim pro meo recipere, jam ut ad Alterum veniam, ad hunc modum res habet, qui sunt à me conscripti libri nõ sunt ejusdem generis nec argumenti omnes, nam ex ijs aliqui solum ad fidei & pietatis doctrinam pertinent, quibus etiam adversarij mei præclarum dant testimonium, quos quidem si abjurarem officium viri boni neglexisse merito queã incusari: sunt alij quibus pontificatum Romanũ, & pontificiorum doctrinã repræhendo, qui maximis incommodis Rempublicam Christianam afflixerunt, quis enim non videt quam miserè hominum conscientię legibus vexentur, atque decretis pontificũ? quis negare potest, quam fraudulenter, & insidiosè provintias omneis, imprimis vero germaniam expilarint, & ne nunc quidem adhuc suæ rapacitatis finem aut modum faciant ullum.

Si

Si nunc & hos libros aboleam, tyrannidem illam confirmavero, quod ipsum eo majoris erit præjudicij, cum audietur illud à me factum Cæsaris & principum authoritate.

Tertium genus est eorum, qui scripti sunt in quosdam privatim, & qui Romanam illam nequitiam defendere volunt, & ubique mihi calumniam struunt, in ipsisque fateor me vehementiore fuisse quam deceat, sed nullam mihi sanctimoniam arrogo, neque de moribus, neque de vita, sed de vera doctrina professionem institui; & tamen in his ipsis nihil retractare velim; hoc enim ipso, multorũ insolentiæ fenesttam patefacerem; neque tamen hoc ita accipi velim; quasi hoc mihi sumam erare me non posse; verum quia proprium est hominis falli & errare; ad causæ defensionem mihi sumo illud servatoris nostri dictum, qui de sua doctrina locutus, cum à satellite quodam cæderetur, si male sum locutus ait; testimonium perhibe de malo: Quod si Christus in quem omnis cadit perfectio, non recusavit audire contra se vilissimi servuli testimonimũ, quantò majus ego, qui natura tota sum peccator, & non uno modo errare possum, sistere me debeo vocatus, & audire, si quis contra doctrinam meam aliquid testificare velit & adferre: quapropter per omnia sacra vehementer oro, si quis est omnium, qui adversus doctrinam quam profiteor, aliquid habeat, nõ dissimulet, sed congrediatur,

tur, & scripturæ testimonijs errorem doceat: quod si fiat adeò non sum futurus obstinatus, ut etiam primus omnium libros ipse meos in ignem sim abjecturus, & hæc quidem argumento esse possunt me non temere, nec animi quadam impotentia ferri, sed rei magnitudinem, & istam perturbationem quæ propter hanc doctrinam oritur satis expendisse.

Me quidem plurimum etiam delectat dum, video doctrinam meam his offensionibus atque turbis occasionem præbuisse, nam proprium hoc esse dicit Evangelij Christus ut ubicumque doceatur, gravissimas excitet contentiones, etiam inter eos qui naturæ vinculis & sanguine sunt conjũctissimi, diligenter itaque & graviter diu, multumque cogitandum est vobis amplissimi viri, quid statuere oporteat, & providendum ne damnata doctrina, quæ nunc beneficio Dei vobis offertur, maximarum calamitatum causam Germaniæ toti concilietis ipsi.

Danda est etiam opera, ne Cæsaris qui præsidet adolescentis imperium nuper, susceptum ac initum fiat inauspicatum ac infælix, aliquo minus laudato & inutili ad posteritatem exemplo, plurimis enim sacræ scripturæ locis probari potest, maximum imperijs tunc periculum incubuisse, quum humanis tantum consilijs, atque prudentia civili respublica fuit administrata, verum hæc non

eo spectant, quasi vobis amplissimi prudentissimique principes, commonstrare velim, aut præscribere, quid sit agendum, sed eo solum dico, ut Germaniæ quæ nobis ortum dedit omnibus, atque etiam vita nostra charior esse debet, officium meum perpetuò præstem: quod super est, ut contra vim adversariorum in vestram fidem atque tutelam me recipiatis, etiam, atque etiam obtestor. Facto dicendi fine, Eccius asperiori vultu, non respondes inquit ad rem, neque tuum est, ea quæ conciliorum authoritate, sunt olim definita, rursus in quęstionem aut dubium vocare, planum & simplex responsum à te petitur, an tua scripta velis esse rata? Tum Lutherus, quoniam jubetis ait maxime Cæsar, illustrissimique principes, ut planè respondeam, obtemperabo.

Hæc igitur mea est sentētia, quod nisi scripturę sacræ testimonijs, vel evidēti ratione fuero conuictus, me nō posse quicquā eorū, que scripsi vel docui reuocare: nā ut conscientiā ipse meā vulnerē, non committā: pontifici enim Romano, & solis concilijs non credo nec ipsorū authoritatē recipio, nā & errarunt sæpius, & sibi ipsis pugnantia dixerunt & errare possunt atque falli.

Hoc ejus responsum ubi principes in deleberationē vocassent ille, tu & immodestius ait, quā te deceat, & nō satis ad rē Luthere respōdes, & librorū tuorum facis aliquod discrimen: verum si revo-

cares eos, qui magnam errorum tuorum partem continent, Cæsar non esset per missurus ut eis quæ rectè scripta sunt, ulla fieret injuria. Consilio constantiensi, quamplurimi ex Germania interfuerũt virtute, & doctrina præstantes viri, tu vero hujus decreta contemnis, & errorrs ibi damnatos resuscitas, & sacra scriptura vis convinci: non rectè facis, & vehementer in illo deliras nam quæ semel Ecclesia damnavit, de ijs nullam attinet novã instituere disputationem, neque permittendum est, ut de quoque re sibi rationem reddi quisque postulet. Si enim hoc recipiatur, ut cum qui concilijs & Ecclesiæ contradicit, oporteat scripturæ locis couvincere, nihil unquã erit certum aut definitũ, hac igitur ob causam Cæsar abs te postular, ut quid statuas de libris tuis apertè pronuncies. Hic Lutherus, obsecro vos ait, ut per vos mihi liceat consciẽtiam tueri saluam & integram: respondi simpliciter, nec aliud habeo quod dicam: nisi enim veris, & è scriptura desumptis argumentis, adversarij me doceant, & errorem eripiant, fieri non potest, ut animo sim tranquillo, demonstrare enim possum, sæpenumero & graviter ab illis esse erratum, ut autem à sacra scriptura recedam, quæ & perspicua est ac sola falli non potest, aut errare, cumprimis impium fuerit. Ille paucis obmurmubat, doceri non posse, concilium ullum aliquando errasse, Lutherus contra porfitebatur, se & posse & velle, atq; ita

tunc

tunc discessum fuit.

Postridie Cæsar Epistolam mittit in concilium principum. Majores suos, & Christianam religionem esse professos, & Ecclesiæ Romanæ semper obtemperasse, cumque Luther⁹ nunc eam oppugnet, ac sententiæ sue pertinaciter insistat, officium suum postulare, ut antecessorum, vestigijs immoretur, & religionem Christianam tueatur, ac simul Ecclesiæ Romanæ ferat opem: proscripturũ esse Lutherum, atque socios, & alijs usurum se remedijs, ad incendium hoc restinguendum idoneis, quam autem ipsi dedisset fidem, eam se servaturũ, ut saluus & incolumis domũ revertatur. Ea Cæsaris epistola, diu multũque fuit in senatu principũ disceptata, neque deerant, (uti fertur) qui constantiensis consilij decretum & vestigia secuti, fidem ei minimè servandã esse dicerent, sed huic sententiæ tum alios, tum Lodovicum palatinum electorem restitisse vehementer, ajunt, quod ad Germanici nominis labem atque dedecus sempiternum, ea res pertineret.

Quapropter non modo servandam ei fidẽ, sed neque temerè damnandum esse plærique consebant, eò quod magni esset res futura momenti, quicquid demũ Cæsar decrevisset, quem in hac ætate positũ, à pontificijs administris impelli videbant adversus Lutherũ, & exacui, diebus autẽ aliquot interjectis, Episcopus Trevirensis 24 diem

Aprilis Luthero constituit, ut ad se veniat: aderât Brandeburgicus princeps elector Ioachimus, Saxoniæ princeps Georgius, Augustanus Episcopus, & alij quidã proceres, cũq; Luther⁹ ab episcopi sacrifico deduct⁹, & à Cæsaris caduceatore, venisset: ibi Væus jureconsultus Badensis, quod huc evocat⁹ es ait, Martine Luthere, nõ eò factũ est ut ullã disceptionẽ ingrediantur verũ ut amicè tecũ agant, teq; privatim cõmenofaciant eorum, quæ videntur ad te ipsum inprimis pertinere, ut enim hoc ipsis liceat à Cæsare impetrarũt. Et primo quidem quod ad concilia pertinet, fieri potest, ut diversa docuerint aliquando, non tamẽ contraria, & ut maximè erraverint, non tamen propterea sic corruit ipsorũ authoritas, ut ea cõuellere cuivis liceat: libri tui, nisi caveatur, magnos excitabunt motus, & quem edidisti de libertate Christiana, plerique omnes ad suum affectum interprætantur, quo licentius quod libet faciant, multô est enim hoc seculum, quam fuerunt auteacta deterius, quo cautius agendũ est etiam, sunt quædã tua scripta quæ non possint improbari. Sed verendum est ne Sathan hoc agat, ut alia quædam interim edas, à religione, & pietate aliena, quo sic libri tui promiscuè damnantur, omnes, quos enim edidisti postremò satis indicant ex fructu, non autẽ ex flore cognoscendã esse arborẽ, nõ te latet quã diligẽter scriptura cómone faciat, ut à demonio meridiano, & à sagitta volante nobis

caveamus, ille humani generis hostis non desinit insidiari nobis, & sub specie pulchri sæpenumero nos illaqueat & in errorē abducit. Cogitare igitur debes tam de tua, quā de aliorū salute, & providere decet, ne quos ab æterna morte Christus sua redimit morte, tua culpa, tuisque libris, & concionibus ab ecclesia seducti rursus pereant, cujus quidē Ecclesię dignitatē omnes reverēter agnoscere debēt: Nā in reb⁹ humanis nihil est legū observātia præstabili⁹, & sicut respub. sine legibus cōsistere nulla potest, ita quoq; nisi majorū sanctissima decreta religiose tueamur, nihil erit Ecclesię statu perturbati⁹ qui debebat omniū maximè esse trāquill⁹ atq; firm⁹. Qui corā adsunt principes, magna sane vertute viri, singulari quadā erga rempublicā charitate, & privatim quoq; tuæ salutis gratia, de his rebus omnib' te voluerūt admonere, nā perfectò si sententiā tuā pertinaciter urgebis, deque proposito nihil remittes, futurū est, ut Cęsar, qui jā nō obscure, quid sui sit perpositi ostendit extra fines imperij te reyciet, nec in germania sedem ullā tibi esse patiatur, quo tibi de tua fortuna cogitandum est diligentius.

Ad ea Lutherus, pro hac vestra erge me voluntate ac sollicitudine, gratias inquit vobis ago maximas, viri principes, equidem tenvioris sum cenditionis, quam ut vos tantos viros pro me laberem hunc, deceat, ac molestiam subire: porro

quantum ad concilia pertinet equidem nõ repræhendo simul omnia, sed in primis constantiense, & cur id faciam causam habro magnam, & invincibilẽ definivit Hussus ecclesiam esse cætum prædesti natorum: hoc ejus dogma, tum illud quod dixerat, se credere sanctam ecclesiam, ejus concilij proceres damnatunt, ipsi potius damuandi.

Recte enim & Christianè dixit utrumque, quiduis ergo sanè patiar, vitam quoque profundam potius, quam ut à manifesto verbo Dei discedam est enim Deo magis quam hominib⁹ obediendũ, & quod, de scandalo mihi obijcitur, id neque possum neque certè debeo præstare differunt enim charitatis & fidei scandala, quorum illud in moribus & vita consistit, & omnino vitandum est, alterum inhæret verbo Dei, nec ulla debet ejus haberi ratio, veritas enim & æterni patris voluntas atque mandatum dissumulari non debent, etiamsi totus terrarum orbis offendatur: Christum ipsum scriptura vocat petram scandali, & hoc ad omneis qui docent evangelium æque pertinet, scio parendum esse legibus, & magistratui, populum etiam ita semper docui, & scripta mea testantur abundè quantum legum tribuam, ad Ecclesiastica vero decreta quod attinet longè est alia ratio, quod si pure doceretur verbum Dei, si præfecti ecclesiarum suum facerent munus, ita ut Christus & Apostoli sanxerunt nihil opus erat iugum illud durum, & intol-

intollerabile humanarum legum, conſcientijs, & animis hominum imponere, non me latet etiam, admonere ſcripturam, cedendū eſſe proprio, quod ajunt ſenſui, verè quidem iſtud dicitur, & libenter etiam præſtabo, nec obſtinatè ſum aliquid factur⁹, tantūmodo mihi liceat Evangelij doctrinam profiteri: Cum hæc oraſſet, juſſus eſt divertere, re deliberata, væus inter alir cæpit hortari ut Cæſaris atque principum cognitioni ſua ſcripta ſubijceret, tum ille, quid ni inquit, nolo equidē videri unquā defugiſſe vel Cæſaris, vel ordinum judicit ſed ne aliorum quidem judiciū, modo id ſcriptura duce fiat, & verbo divino, quod tam apertè pro me facit, ut niſi hoc ipſunt me redarguat erroris, nō poſſum à ſententia diſcedere, præcipit enim Paulus ne angelo quidem è cœlo venienti, & aliam adferenti doctrinam eſſe credendum, itaque vos oro magnobere, ſaluam mihi liceat tueri conſcientiam, idque veſtra potiſſimū ad Cæſarem interceſſione, quod ſi obtineam nihil non faciā. Tum Brandelurgic⁹ num hoc inquituis? te nō ceſſurum niſi convictū ſacra ſcriptura? planè inquit Lutherus, aut evidentiſſimis rationibus, dimiſſo igitur concilio: Trevirenſis aliquot ſuis adhibitis familiarib⁹, denuo illum cœpit admonere per Eccium jureconſultum, qui pro pontificatu Romano multa locutus, nihil potuit proficere, atque ita tum diſceditur. Altera die Trevirenſis iterum interppelat, ut Cæſari, ac

principum ſenatui judicium permittat abſque cõditione; ſed id fruſtra fuit, à meridie cum ad Trevirenſem, denuo quidã veniſſent, vocati, poſtulant, ut futuro ſaltẽ concilio ſua ſummittat, adſentitur ille, modo ſacræ ſcripturæ res agatur authoritate.

Poſthæc, Trevirenſis omnibus remotis, privatim cum eo collocutus, quomodo huic morbo tam graui, tamque periculoſo ſit medendum, exquirit, ille quod Gamaliel quondã ſua ſiſſet Phariſæis atque ſcribis optimum eſſe conſilium, neque Deo repugnandũ eſſe dicit. Tunc demũ Epiſcopus, cum nihil proficeret, beingne dimittit, ſeque curaturum ait, ut publica fide donum redeat. Non multo poſt, Eccius jureconſultus Epiſcopi mandatu venit, & quoniam Cæſaris atque principum admonitiones repudiaſti, faciet inquit Cæſar deinceps, quod erit ipſius officij, & nunc quidem tibi mandat, ut hinc è veſtigio diſcedas, & in reditum dies viginti unum tibi largitur: quã etiam fidem tibi dedit, eam ſervabet inviolatam, & hoc inſuper mandat, ut domum profectus, neque ſcripto neque voce populum in via commoveas.

Ad hunc ergo modum dimiſſus, gloriam Deo tribuit, & ad XXVI. Diem diſcedit comitatus eodem quo prius cadureatore Cæſaris. Ex hac tota actione Lutheri cum pontificijs, idque in præſentia Cæſaris, & principum germaniæ, conſtat, an vt

flavinus docet nos traditionibus, & doctrinis pontificiorum contentos esse deceat, an vero verbo Dei in sacra scriptura compræhenso tamquam vero fundamento inniti debeamus.

Ad quæstionem vero, quod attinet, an decretis & constitutionibus conciliornm sit credendū, & obediendum? Vt flavinus atque omnes pontificij clamant. Notanda est Regula, & Responsio Prophetæ Esa. 29. & Mathæi 15. frustra me colunt mandatis hominum, jam vero ipsi conciliorum canones, produnt pleraque esse hominū decreta, quia potifices, & patres conciliorum, paulatim eos accumulaverunt, & relaxarunt quorum neutrum illis licet, si divinitus præcepta essent.

An Missis animæ ex purgatorio liberentur?

CAP. VIII.

GLoriantur pontificij, quemadmodum & flavinus passim in suo docet libro, damnatorum ad ignis purgatorij animas post aliquod tempus missis præsertim liberari, quamuis, alia quoque suffragia adhiberi volunt quæ liberationem ex isto igne adiuvant, ut sunt Eleemosinæ, peregrinationes, ad divos, divasque, preces

aliaque

aliaque opera, quæ ab demortuis cum ad huc in vita essent, vota nec præstita fuissent, persoluerentur à viuis, missas tamen præ cæteris omnibus ad liberationem animarum conducere adfirmant.

Sed an Deus tali saltationi theatrica ita delectetur ut peracta fabula captiuos & damnatos ad pœnas, soluat, ac liberet ex inferno, contra Abrahami ad divitem responsum, aut an diaboli hanc rediculam, & plusquã idololatricam actionem ita reformident, ut animas quas magna cura, industria, & laboribus, secum ad cruciatos horrendos traxerint in infernum, rursus dimittant? Certè adfirmare nõ possum.

Vt vt vero agatur cũ animabus, liberentur necne ex purgatorio, illi vero non infæliciter negotiãtur, sed magno prætio suas distrahunt Missas atque divendunt, quod ut melius intelligatur, de hoc vitę genere, & illorum mercatura, Paulo altius repetam, Christus ab mercatoribus, quando jussit talentum acceptum ita tractari ut fructuo sum fiat similitudinem sumpsit. Apud Math. cap. 13. vers. 15. & 16.

Item apud eundem cap. 25. vers. 14. & 15. Nam hoc vitæ genus nec illiberale, nec inutile est Reipublicæ, modo fraus absit atque dolus. Sed hi missificatores non solum mercatores sunt in Republica Christiana prædivites, verum etiã fures: quis enim eum furem non esse dicat, qui vel alienam,

vel

vel adulterinã mercem pro sua, proque sincera divendit?

Annon emptor pulchre decipitur? Sed hoc nobis jam olim accidit, & quanquam nullius ingeniũ aut lingua satis explicare possit illorum artes omneis, tamen nonnullos attingam.

Negotiatores igitur hi missifici scilicet, de quib⁹ agam, callidi sunt supra modũ, suamque mercaturam sic amplificarunt, ut nullus omnino fuerit locus vel angulus, quem non suis repleverint tabernis, & hæc quidem simulata quadam specie sanctimoniæ, vestitu vero differebant à reliquis, erantq; plerique rasis verticibus: nec enim vlli qui non magnæ illius bestiæ characterem habebat & insigne, mercaturam hanc exercere concedebatur.

Hi soli vẽdebant, revendebant, permutabant & quidem omni tempori. Nam cæteri mercatores diebus festis, pręsertim celebrioribus planè cessant, denique plerique sectantur & exercent unum aliquod mercaturæ genus, aut enim lanam, aut sericum, frumentũ, aut vinũ, aut pecora, aut metalla distrahunt: Hi vero nullum anni tempus intermittunt, & omnis generis merces tractant, nihilq; est quod illorum manus effugiat, non viri, non mulieres, non infantes, tam nati quam nascituri, quæstum enim faciunt ex omnibus rebus in universum, serviebat illorum cupitati. Cœlum, terra, infernus, tempus ipsum, & omnes planè creaturæ,

tum animatæ, tum inanimatæ Vinũ, Panis, Oleũ, Linũ, Lac, Butyrũ, Caseus, Aqua, Sal, Ignis, fumigationes, ex his omnib⁹ reb⁹ inquã norant elicere aurũ & argẽtũ incredibili ſane populi cũ diſpẽdio, cum fortunarũ, tũ animæ in primis, vitiata nimirũ, & prorſus extincta vera de Deo doctrina. Quid? eſtne ſubtilis cujus dam artis aliquid vendere, & carè quidẽ, unde nihil ad emptorẽ perveniat præter aſpectũ ſolũ rei venditæ? Mercatores alij, quãdo ſuas merces exponunt, proverbio dicere ſolent, exhibitæ rei aſpectũ eſſe gratuitũ, & omnibus cõmunẽ: hi vero longè ſecus faciebant.

Deceſſit quiſpiã de vita, mox præſto erant tibi, & rogabant, veliſne mortui corpus ad ſepulturam deferri, ſtragula honeſtiori contectũ, an ſordidiora, vel mediocri? veliſne crucem elegantiorem, an vero minus pulchram præferri?

Nam prout elegeris dandum erat præcium obſecro te, quid habebas, aut quid auferebas præter intuitum, nam mercem omnem reponebant, & poſtridie alteri tantidum vendebant, ejuſdem erat artificij quod ex mercatoris etiã veſtitu pręcium augebatur. Quam enim.

Abbas decantabat aut Epiſcopus, multo conſtiſtit majoris, quã alicujus Monachi aut vicarij miſſa, qua quidẽ in re nihil differunt à meretricibus, namhę qno ſunt ornatiori cultu, eo carius turpitudinem ſuam vendunt.

Huc

Huc pertinet quod eandẽ rem, eodẽ temporis puncto pluribus divendebant in solidum, & quidẽ inscijs emptoribus, præsertim ijs locis, ubi major est hominum fræquentia.

Venit ex Nobilitate quispiã in ædẽ Dominicanorũ, & Missam deposcit: Annuit Monachus, Mox alius idem petit, & item tertius, eoque plures: prodit tandem ille personatus, & Missa peracta pecuniam à singulis accipit integram, Hoccine tu nihil esse putas? Ingenio certe res ipsa non caret, ac illis ad faciendum quæstum majori materia opus non erat, nam vel ceræ particulam sibi fructuosam faciebant, forte in eorum templum ingrediebatur muliercula quæpiam, & ceræum ante divum aliquem affigebat, adfuit è vestigio meus hic venditor, corripit candelã, extinguit, & plurib⁹ ordine alijs deinde nendidit, quam primum mulierculæ quoque vendiderat, cerã autem plerique omnes exercebant tenujores quidẽ sicut jam dixi, majores autẽ in literis atque diplomatibus, cujusmodi erant qui vulgo dicebantur Officiales, Copistæ, Sigilliferi, Datarij, & id genus alij, Magnificus autẽ ille, qui omnibus præstat, & sanctissimi sibi nomẽ sumit, Non quidẽ utitur cera, sed mirabili quodã artificio plumbum convertit in aurum: deinde pileos Maximè vendit, præsertim purpureos, quibus amplificati emptores, passim se in hominum cœtu etiammum hodie quoque ostentant,

& ala-

& alacres per omnia loco volitant; regumque fere (pontificiorum mancipia) sectantur aulas, & maximis fruuntur prærogatinis, obtinent quoque & hodie quodlibet sacerdotium, & sine sumptu quidem & dispendio.

Sunt deinde ejus ordinis unde proximus est ascensus ad summum hujus artificij usurarij gradum atque sedem.

Deinde animadvertendum quod hoc negotiatorum genere, nihil esse magis astutum aut captiosum in orbe terrarum, videmus enim illos imperia, Regna, provincias, urbes, ac possessiones amplissimas ad se traduxisse, sæpeque Reges & principes viros in otdinem redegerunt, spoliatosque rebus omnibus in summas augustias coniecerunt, eoque potentiæ devenerant, ut hæc omnia vi possiderent & cœlum terræ misceri prius voluerint, quam pati sibi quicquid auferri.

Alij negotiatores neminem adigunt ad suarum mercium emptionem, hi vero cogunt invitos vt emant, si quis recuset, hæreticum esse illum clamant.

Moritur quispiam re valde tenui, relictis uxore & liberis, lamentabilis nimirum casus, & vidua liberalitate quadam merito sublevanda, quid autem isti? non modo miserentur, sed mox ad prędam oculos conijciunt, & demurmuratis cantionibus atque Missis, epulum ac pecuniam deposcebant.

Quid

Quid eſt iniquius quam uendere rem non ſuã, imo vendere ijs ad quos ea proprie pertinet, & quidem compluribus rem unam, cedo campanas quis fieri curavit atque conflari, ſolũ & area templi, ad quem obſecro pertinet? Num illorum eſt patrimonium? minimè, cur igitur ſonitum campanæ, cur ſolum alienum, tam carè tamque ſæpe divendunt? Dicunt opinor, hoc eſſe jus Eccleſiæ, fateor, ſed non ejus, quam Chriſtus lavit, inſtituit, & ſanctificavit, verũ ejus, in qua verſantur ipſi, quę furtis, rapinis, & omnis generis accumulata eſt flagitijs. Nam Chriſtus jubet hæc omnia conferri gratis.

Cum aliquis re lauta deceſſerat è vivis periucundum & elegans erat ſpectulum, videre inter ſe certantes vultures de cadavere, nam franciſcani ſæpe cum Dominicanis, Carmelitæ cum Auguſtinianis digladiebantur, condendi corporis cauſa, atque ſepulturæ, genus hominum ignavum, iners, & nõ utile modo, ſed etiam graue, & merito pellendũ è Republica, hæc quæ dico non poſſunt negari eſſe facta. Quod ſi campanæ ſonus alicubi audiebatur, mox illi accurebant, ſi quis locupletior ægrotabat ingeſſerunt ſeſe, nec prius diſcedebant niſi ablata præda, ſi nuptiæ peragebantur aderant, & ſuper thoro geniali, ſuas præces expediabant ij, qui in turpiſſimo cœlibatu vivebant, ut eo licentius in omni genere nequitiæ viverent.

Quod vero de monachis diximus, ad Mercatrices quoque pertinet, quarum non un⁹ est ordo.

Recusarunt illi quidem Magistratus cognitionẽ ut supra in historia Aureliana est dictum, sed tamẽ habet magistratus revera potestatem in illos velint, nolint Requirit hoc officium Deus ut coherceantur.

Et o utinam Magistratus in celebranda Dei gloria tam essent vigilantes & excitati, ut hi sunt in tractandis illorum negotijs, nec enim ullam intermittunt occasionem, stant in perpetuis excubijs vigiles & erecti, nec minus oculati quam Ianus Pater, & Argus.

Cum sacerdotium aliquod vacat aut præfectur Deus bone, quæ solicitatio? qui concursus? quam diligens inquisitio de proventibus annuis, quid absenti, quid præsenti conducat quantum ex infantium baptismis, ex matrimonijs, ex divorum quas vocant reliquijs, ab anniversaris exequijs, è sepulturis, ex legatis, atque ex testamentis corradi possit. Quantum autem fuit aucupium ex divis illis qui propter opinionem alicujus potentiæ fuerunt formidabiles, & tanquam væjoves concilientur votis atque donis.

Nam non deest divis, (ut ipsi putant) quo suam ejusque cultorum ulciscantur injuriam.

Petrus potest tibi neglectus occludere regni cœlestis ostium, Paulus habet gladium, Bartholomæ⁹

cultro

cultro armatus est, Guilielmus sub pallio Monachi totus armatus est, non sine gravi lancea, quid autẽ agas cum Georgio, & equite, & cataphracto, hasta simul & gladio formidalis? Nec inermis est Anthonius habet sacrum ignem, quirinus aliud morbi genus solet immittere.

Antea dubitatum fuit, num Deus Missa ita delectetur, ut ea peracta in demortuorũ animas quæ jam cruciantur apud inferos, sit clemens aut sathan ita formidet ejusmodi mimicam saltationẽ, ut prædas amittat, atque liberas ad æternam vitam concedere patiatur.

Itaq; ut hanc dubitationẽ lectori eximã, Missã aliqua ex parte quantũ ad externũ, ritũ attinet describam, ut ex illo actu lector judicet quod sit.

Vidẽtur ibidẽ, ubi celebrior Missa est peragẽda multi raso vertice, novo genere vestiti, cantãt quæ vulgus non intelligit, Ceræos atq; lampades in ipsa quod dicitur meridie accendunt, fumigationes atque suffitus excitant thuribulis, sacrificus cũ ministris adstadt ad Altare, pronunciat omnia sermone peregrino, varijs utitur geniculationibus atque gestib⁹, inclinatur strictis manib⁹, modo distendit, modo deducit brachia, subinde se conuertit, nũc est clamosus nũc magno silẽtio quædã demurmurat, suspicit in altũ, est pronus jã, consistit non in uno loco, nunc in dextram, nunc in lævam partem Altaris commigrat, micat digitis, inhalat in

 calicem,

calicem, eumque tollit in sublimè, postea reponit, certis locis nominat nunc vivos nunc mortuos, panem azijmũ frangit, & in calicem immittit, pectus ferit pugno, suspirat, clausis oculis repræsentat somnũ, rursum expergiscitur, manducat unã partem, panis Azijmi, alteram haurit cum vino totã, ne qua guttula remaneat, abluit manus, patellam deauratam aversam extenso brachio populo demonstrat, admovet eandẽ fronti atque pectori, deosculatur nunc Altare, nunc imagunculã, inclusam materiæ vel metallo, hæc inquã & id genus, non sine hominum risu, & admiratione spectantur.

Referã hic quid anno superiori, in germania in celebri civitate, cujus ego nomen consulto prætereo acciderit, habebat quidam ex proceribus simiã, quæ interdũ cũ hero suo exibat, etiã ad missam, hæc semel ab Domino jussa erat vinciri, cum dominus in templũ die dominica iret, simia non admodũ deligenter servata, sed revincta Dominũ ac templũ sequitur, quo invento, vidit sacrificum ad altere, cum jam enumeratis gestibus missam peragerei simia astitit sacrifico, atque omnia quidẽ quæ sacrificus gesticulationib⁹ egit, imitata est. Cũ vero sacrificus, uri fieri in Missa solet, somnum repræsentaret simia forte, aut illum dormire, aut planè esse mortuum putans insilijt in Altare, cumq; ille oculis clausis staret, simia arrepto calice totum
id

id quod erat intra ebibit, calicemq; abicijt, ibique ille expergefactus atque juxta se vidit simiã, sathanã esse arbitratus, fugæ sibi salutem, non sine risu adstantium quęrere voluit, simia vero postea hęreseos accusata, tormento trajecta, atq; cremata fuit.

Sed sunt ejusmodi ut Deũ ad misericordiã erga damnatas animas, ac diabolum quoque ad cõmiserationem perducere possint, si sacrificis credas.

Sed hic scire velim unde sciant, an aliquis ex illorũ familia atque notis in purgatorio sit aut non sit, cum doceant, non solum Monachi, & sacrificuli, sed in synodo Tridentina statutum ut semper sit dubitandũ an Deus nobis remiserit peccata, & receperit nos. Igitur non sunt certi an ij quorum nomine Missæ illæ peraguntur sint in purgatorio, aut in cœlo, inanes igitur esse necesse est.

Vt autem dolendũ est, tantas superiori ætate tenebras fuisse, ut hunc errorem plurimi tanquam pium dogma & necessarium in Ecclesijs tradiderint, ita nunc detestanda est multorum impudentia, qui postquam illuxit veritas, tamen contra cõscientiã retinent & defendunt manifesta mẽdacia. Putant enim labefactari autoritatem confessione veritatis.

Manifestissima est sententia Salomonis: Eccles. 9. homines externis eventibus, ex rebus secundis vel adversis, non debere judicare de se, vel de alijs

an Deo placeant, aut displiceant, semei, & alij multi David Pulso in exilium, existimant eum abjectum à Deo esse, sed alij pij norant, non ex illis spectaculis judicandum esse.

Nec ipse quidem David his externis ærumnis frangitur, sed scit de volũtate Dei ex verbo esse judicandum. Et jam audierat vocem Prophetæ: Dominus abstulit peccatum tuum.

Ita vult Salomon, nos à spectaculis ad verbum deducere.

Etiamsi imperij & victoriarum gloria & opibus fleret Alexander, tamen non putet se placere Deo, cum injuste interficit amicos vt Anaxarch⁹, scurra potius quam Philosophus consolatur, qui dicebat: Tantũ Regẽ divinitus gubernari, nec peccare posse. Hac confidentia vanissima, cumulavit postea Alexander suos furores & scelera.

Rursus David pulsus in exlium, etsi non solum cruciabatur corporis ærmunis, sed etiam magnorum scelerũ conscientia: tamen sustentat se consolatione in verbo Dei proposita. Ac sciendum est, universaliter doctrinam Ecclesiæ nequaquam esse illam papisticam dubitationem.

Vniversaliter sciant omnes agentes contra cõscientiam, se certissimè displicere Deo: sicut scriptum est: propter hæc venit ira Dei super inobedientes. Itẽ, nolite errare, Deus nõ irridetur, Adulteri, homicidæ, idolatræ, non possidebunt regnum Dei.

Rur-

Rursus etiam vniversaliter sciant omnes agentes pœnitentiam, certò se recipi à Deo propter filium gratis, sola fide: id est cum dubitationi repugnant, & ex ea eluctātur, & credunt se propter mediatorem certò gratis recipi. Hæc est vox Evangelij proprijssima de beneficio filij Dei.

Quare synod⁹ Tridentina, & omnes qui dubitationē illā, de qua loquimur adprobāt, sunt hostes filij Dei, & obruunt, & delent Evangeliū, & immēsa beneficia filij Dei. Igitur cum de re maxima de salute æterna dubitare debent, utiq; de pœnis purgatorij defunctorum incerti, missę eorum inanes sunt.

At consuetudinē ex patrū constitutionibus, in defensionem adferunt, & certe hoc tempore neru⁹ est maximorū errorū consuetudo quā dicunt fuisse universalē multis seculis, de justitia fidei fuit silentium, & scriptores plurimi docent, homines justos esse propter propria opera. Vbique & diu fuit recepta oblatio in Missa, & adoratio panis, ubique recepta fuit invocatio hominum mortuorum.

Hi portentosi errores defendūtur à multis propter consuetudinem: Cujus tanta vis est, ut ne multi audire quidem velint aliquid dicere contra persuasionem, qua olim rudes animi imbuti sunt, & videmus verissimum esse, quod inquit Aristoteles: sicut assuefacti sumus, ita volumus dici, & hoc argumento intuntur multi.

Promiſſiones Dei neceſſe eſt ratas eſſe: Eccleſiæ eſt promiſſus ſpiritus ſanctus,& per hunc agnitio veritatis.

Ego neceſſe eſt Eccleſiam non errare vniverſater,quid igitur reſpondebimus his,qui nobis multorũ ſeculorũ conſenſum opponunt?

Arbitror certè collatis prædictionibus in Evangelio reſpondendũ eſſe. Nam dicitur in Evangelio,errores latè graſſaturos eſſe,in magna parte gubernatorum & populli,qui nomen habent Eccleſiæ.

Manet in Eccleſia Dei,veritas,ſed in paucis, ut cum filius Dei penderet in cruce,manſit veritas in Maria,in ſorore Mariæ, Iohanne, in latrone,& in paucis alijs, & tamen in plurimis extincta fuit, ut pene univerſalis tenebræ eſſe exiſtimarentur.

Hæc ſpecies valde offendit hominum mentes, & videtur durum, dicere tam multos ſapientia & autoritate præſtantes,pernitioſe errare.

Atqui interdum cum bonos & pios vident in vita & moribus ceſpitare, judicant illos à Deo derelictos,& è cõtrario ſi malos & impios boni quippiam agere vident , judicant hos à Deo regi, eſſe Deo charos, atque recta eorum animas evolare in cœlum.

Sed virtutis ſpeciem in vitioſis ne adoremus vltij inſtrumentum eſt,neque virtuti deditorum deteſtemur lepſus,adminicula ad ſalutẽ ſæpe ſunt.

Lapſus bonorum, quos ſubinde Deus permittit vel non impedit, in virtutis inſtrumenta ſæpe converit: Certè ſi perpetuo ſua manu Deus nos regat ceſpitabimus nunquam.

At cogitabimus fortè, id à noſtro robore à noſtra firmitate eſſe, non ab ipſius præſidio, aut fulcimento, quod jam non ceſpitare fuerit, ſed prorſus labi, quæ enim lapſus cauſa? Superbia, ſuperbia autem quæ? niſi quatenus nos Deos fieri poſſe, abſque Deo arbitrabamur.

At ut infirmitatẽ noſtram cognaſcamus in qua vires ſuas demonſttare dignatur Deus, ſinit nos interdum ſolos, tum vero ad primum ſtipitem impingimus, primo quoque greſſu titubamus.

Hæc titubatio facit, ne gravius labamur, quia manum Dei in auxilium vocamꝰ, quæ noſtros dirigat greſſus.

Eodem modo puero teneri Nutrix aliquando manum dat ducitque, ſimul ac diduxerit manum ſtatim labitur puer, neq; eam ob cauſam nutrix à puero deduxit manum, ut puer jacens relinquatur ſed ut poſtea firmior in eundo ſit.

Aliquando ſi feruentiores æquo ſimus, ſinit nos Deus in vitium labi, & ſeriò, addit vero quæ vitiũ ſequuntur, dolores, morbos, ut vel ipſo vitio doctore & magiſtro, vitium fugere diſcamus.

Sic pater puerum candelæ digitum intendente non removet, ut ignem fugere diſcat, illa uſtulatio

postea vultum & corpus totum, ab ignis periculo reddit. Exempla permulta sunt in sacris literis, & in quotidiana vita, ut in Davide, Petro, & alijs.

Deus quoque non ut judices mundi statim nocentes, & peccantes punit, neq; ideo decernit supplicia, ut injuriā passis satisfaciat, ut animū ultionis cupidū satiet, ut apud te boni judicis famā atquirat, at certè quia malum odit, quia corrigi vult, quia ex malo bonū elicere cupit, sicut; prudens pater, si puer de injuria servi quæratur, non statim baculo seruum invadit, puer enim fortè, delicatulus redderetur, vult autem ille ut puer patientiam discat, affectus domet, justitiæ suæ, suas offensiones omittat. At servū ille semouet, & coram alijs servis corripit, ita certè nil mirū si Deus impios, & procul ab oculis nostris, & post obitum eorū quos vexarunt interdum puniat. Vult ille pravos illorū affectus castigare, non tuis gratificari, vult etiā homines de sua justitia erudire, justitia vero sua te abuti non vult, quasi tibi stypendium mereat, & quoties tibi libuerit ferire teneatur, si enim tuo arbitrio feriat Deus, tu judex es, & ille carnifex, at suam ipse justitiam non tuam exercet, & suos nō tuos ferit, suas propriè injurias non tuas, quod forte putas ulciscitur.

Hoc Dei consiliū qui culpat, multo minus audiri debet, quā quia patris familias disciplinā repræhendit, apud quē unicam noctē diverterit, aut qui

leges

leges Reipublicæ cavillætur, in qua cauponas frequentaret tantum.

Nã certè Deus non Satim nostro arbitrio suas ferit, novit ille quo tempore Reipublicę aliquãdo prodesse possunt. Si enim Cóstantinus Scelera illa quæ adolescens perpeterasse dicitur, morte luisset resciscerem⁹ vero quid ad gloriã Christi, matura ętate factur⁹ fuisset Christiano orbi, totiq; adeo mũdo, ereptũ doleremus, cur enim homines nonnullos gravissimorũ criminum reos à supplicio retrahunt sæpe? illum, quia peritus est architectus, hunc quia egregius est Musicus, illũ quia literis imbut⁹, quos meliores futuri sint, nec ne, ignorant. Sed Reipub. profuturos putant. At Deus novit, quid animæ nostræ insit, antequam sit, scit quo tempore mansuefactus lupus indolem exerat suam, & quo efferatus canis furorem exuat.

Novit hominum mores in semine, quos vix nos in flore, & sexcenta remedia habet quibus vitia curet, & sexcenta flagella quibus vitiosos castiget, & pro vitij ratione, & pro hominum natura atque indolæ, cum nos sane imperitorũ tonsorũ, more, statim ad ignem, ad ferrum, & cauteria protinus curramus. Deum vero quia candens in manu cauterium non vides, & caustica sua, tuis, potẽtialia, actualibus, (ut chyrurgorum verbis utar) cedere arbitraris.

Obtemperas tu interdum medico lubens, quia

urinam inſpexit, qui pulſum contrectavit, o miſer Deo opt. Max. qui te fecit formauitq;, qui ab æterno animæ tuæ arteriam tangit.

Non poterit de tuis ſarcinis ſtatuere, ut adverſus vitium, adverſus mundi illecebras promptior, & alacrior ſis.

Approbant (inquit ſeneca) vitæ ſuæ rationem Deo qui ſuos novit, & in illo acquieſcunt, & conſcientiæ pace fruuntur.

Multi vero Deo nolunt obedire, neque acquieſcere in illius caſtigatione. Cur dicunt mihi potius abſtulit ſanitatem, bona, aliaque quam alijs? Cur te magis diligit quam alios: Cur majorē Doſin Rhabarbari tibi præſcribit medicus, quam illi? Eſt qui facilius ſcrupulo purgatur, quam tu drachma. Eſt qui clyſtere magis ſoluitur, quam alius valido medicamento. Eſt cujus animum levis frugū calamitas magis afficit, quam alium domus incendium, bonorum direptio, & liberorum captivitas.

Quæritur quoque cur hæc natio durior, & diutius bello vexatur, quam aliæ nationes? Novit Deus quid omnibus gentibus commune, quid peculiare cuique, illa niſi ferula perpetua ob oculos verſetur inſoleſcit ſtatim, hæc contra, ſi flagellum minetur, animum deſpondet, illa niſi proprijs cladibus occupetur ferociat ſtatim, & vicinos invadat, hæc, utpote natura mitior, montes ſuo, duro excolit labore.

CAP. IX.

CAp. 24. Flaninus in suo libro, citat dictum Christi ex Iohanne 4. cap. ubi Christus dicit samaritanæ, vos adoratis quod nescitis nos adoramus quod scimus, salus enim ex Iudæis ita (inquit ille) nos quoquę pontificij, sepeliendi morem, & honorandi sanctorum corpora, à Iudæis habemus. Nam illi & animæ immortalitatē, & carnis resurrectionem credunt, sed Huguenoti, Lutheriani, & Zuingliani illorum mortuos, ut Asinos aut mortuos equos abijciunt, eo quod neque Animæ immortalitatem, neque Carnis Resurrectionem credant, dicitque, orthodoxos neque à Machometistis neque à Iudæis qui summo cum honore mortuos eorum sepeliant didicisse, qui etiam adhibeant luminaria, Eleemosinas, & preces, neminemq; qui non velit capitis incurrere periculum ausum pertransire eorum sepulchra, cap. 25. pergit, mentiendo, & blasphemādo & quemodū Iudæi suos sepeliant mortuos indicat, dicitque Iudæos defunctorum corpora lavare, atque inungere, item vestire more viventium, postea magna pompa illa cum lichnis, atque ploratu ad sepulturæ locum deducere. Sed prius quam terra obruantur, orare illos ex Deuternoīj 23. cap. finita oratione,

amici

amici defuncti & cognati, in loculum procumbāt, (dicit flavinus) lachrimantes & ululantes, vestimē-mēta cultello, ad cutē usq; discidunt, deinde loculum cum cadanere, in sepulchrū demittunt, postea domum quisque redit, ac septem diebus humi cibum sumit, Candelam ardentem in lecto ubi is qui jam sepultus est obijt, Amici vero & defuncti cognati, singulis diebus ædes defuncti adeunt, domesticos sepulti relictos, cum lachrimis & ejulationibus ad Synagogam, ut pro mortuo precentur deducunt, oratio fit ex 20. psalm. scilicet. Exaudiat, te Deus in tribulatione.

Sæpiusque hunc Psalmum repetunt, quemadmodum nos (inquit ille) de profundis. Lampades tunc in Synagoga accendunt, quæ integrum annū ardet, singulis quoque septimanis eo quo obijt die illi in Synagoga ut pro defucti anima orent cōveniunt, & Psalm jam dictum orant. Singulis quoq; Annis die Novilunij: Iunij mensis, festum habēt animarum, ut nos (dicit Flavinus) secundo Novēbris die, tunc enim jeiunant Iudæi, atque lamētationes Hieremiæ (vt nos dicit Flavinos) tēpore passionis Christi, Historiā passionis recitant, multasque pro animab⁹ præces effundūt. Ex euntes à Synagoga, ad sepultucæ locum properant, & quisque supra suorum qui ibidem sepulti sunt, sepulchrum proijcit, oratq; pro ibidem sepulti anima, hūc nos morem (inquit Flavinus) ab Iudæis mutuati sum⁹.

Pergit

Pergit Flavinus dicens, se ab doctis Iudæis, an purgatorium esse iguem crederent quæsivisse, & quibus scripturæ locis, id esse verum docere possent. Respondisse hujus rei veritate. Ex Hiobi cap. 14. Psal. 6. 17. 26. 28. 30. & psal. 143. constare.

Item ex 4. cap. Esajæ, & 3. cap. Malachię probari: Hactenus Flavinus, de purgatorij probationibus.

Nos vero ex sacra scriptura supra ostendimus purgatorium esse figmentum à Sathana per pontifices ad culinam eorum ditandam excogitaium.

Quantũ vero ad Calumnias Flavini attinet orthodoxos scilicet suos mortuos tanquã Asinos aut equos abijcere, eò quod nullã carnis Resurrectionem, neque Animæ immortalitem credant, igitur utrumque nos certò certius credere, eamque nobis esse in omnibus malis spem, quæ nos erigit & confirmat, ut mala patienter ferre possimus, probabimus, idque non ex Iudæorum delirijs, neque ex Machometarum impijs ceremonijs, multò minus ex pontificiorum, lamentationibus, ceræis, lampadib⁹, & crucis, sed ęx Dei indubitato verbo.

Resurrectura esse omnium corpora, in movissimo die credimus, quia Deus qui est verax dixit, & ita decrevit.

Hiob. 19. scio quod redempter meus vivit, & in novissimo die, de terra resurrecturus sum, & rursum circũdabor pelle mea, & in carne mea videbo Domi-

Dominum, quem ego visurus sum mihi, & oculi mei conspecturi sunt, ego, non alius, reposita est hæc spes in sinu mea.

Esa.26.vivent mortui tui, interfecti mei, resurgent, Expergiscimini, & laudate, qui habitatis in puluere terræ, quia ros lucis, ros tuus.

Dan.12.& multi de his qui dormiunt in puluere terræ evigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium ut videant semper.

Iohan.5.veniet hora, in qua omnes qui sunt in monumentis, audient vocem filij Dei, & procedent, qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ, qui vero male egerunt in resuerectionem juditij.

1.Cor.15.Apostolus mortuorum resurrectionē multis argumentis probat, atque confirmat. Probatur quoque Resurrectio mortuorum exemplis Henoch, & Heliç. Item Resuscitatione multorum, à Prophetis, Christo, ejusque Apostolis facta.

Item Lazarus quatriduanus, & jam fœtens sola voce à Chtisto suscitatus est.

Item exemplo Christi quia ipse resurrexit, ad vitam immortalem, & secum ut testatur Evangelista Mathæus. 27. cap. resuscitanit multa corpora sanctorum, qui exjerunt è sepulchris, post ejus resurrectionem venerunt in civitatem sanctam, & aparuerunt multis.

Credimus igitur nos hanc Resurrectionem esse Dei opus, quod in novissimo die exercebit, cum

omnes

omnes homines corporib⁹ suis ad vitam immortalem resuscitabit, ac pios & justos perpetua gloria, & beatitudine ornabit, incredulos vero ad perpetuos cruciatus damnabit.

Perficietur vero hæc Resuscitatio, virtute & omnipotentia Dei per Christum in spiritu sancto, quia opera triuitatis ad extra sunt indivisa.

Iohann. 5. sicut pater suscitat mortuos, & viuificat, sic & filius quem vult viuificat.

Propter has causas credimus contra Flavini, & omnium pontificiorum impudentissima mendacia. Cum Christus sit suæ Ecclesiæ caput, (cujus nos esse membra profitemur; atque ille caput nostrum ex mortuis revixerit, nos quoque membra ipsius resurrecturos esse, sum⁹ etenim caro de carne ejus.

Fietque hæc resurrectio credim⁹ voce filij Dei, cum illuxerit novissimus dies subito, & ex improviso; & Christus ea forma visibili hominis, qua in cœlos ascendit in nubibus veniet, cum Angelis & millibus suis, cum hortatu & voce Archangeli in Tuba Dei, descendet de cœlo, & mortui in Christo resurgent primum, deinde nos qui vivimus, qui reliqui erimus, simul rapiamur, cum illis obviam Christo in aëra, & sic semper cum Domino erim⁹. 1. Tessa. 4.

Fiet autem id in momento & ictu oculi, in cantu tubæ. 1. Cor. 15.

Resurgentq; omnes, qui à conditio mundo usq; ad ejus finem sunt mortui, non solum boni, verumetiam mali, sorte tamen inæquali.

Math. 25. dicitur congregabātur ante eum omnes gentes.

Acto. 24. Paulus dicit, spem se habere in Deum, & expectare Resurrectionem futuram, justorum & injustorum.

Resurgetque id quod cecidit, hoc est caro vel corpus, quod in cineres, aut in puluerem quocunque modo redactum & corruptum est. Hoc ipsum, & non aliud resuscitabitur, nam Hiobi. 19. dicitur, Rursus pelle mea circumdabor & in carne mea videbo Dominum.

Custodit enim dominus omnia ossa eorum unum ex eis non contereretur psal. 34.

In symbolo Apostolorū: credo resurrectionem carnis, ibi tum corpus & anima conjungētur & unienter, ut sit futurus integer homo, habens priorē suam carnem, & animam, sed incorruptibilia, & sic hominis substātia erit integra in Resurrectione.

Vocantur autem vivi quos domini advent⁹ vivos deprænhendet, hosq; immutandos docet Apostol⁹, qvā immutationē vice & loco mortis, quidā futurā existimant, Alij vero sentiunt, quia stypendium peccati mors est, & in Adam omnes moriūtur. Rom. 5. & 6. illos quoque morituros, quod neget omnes morituros, id de lenta, & sensibili morte

inter-

interprætari, quod non hoc modo hi quos ultimus dies vivos depræhenderit ſint morituri, ſed in momento, in ictu oculi fore vitæ & mortis permutationem, & ſic immutandos ſubitò ne mortem ſentiant, & in momento vivos, mortuos, & iterũ vivos futuros.

Ambroſius ſupra. cap. 4. 17. Eſai, ſcribit in ipſo etiam raptu mors præveniet, & quaſi per ſoporem faciet, ut egreſſa anima reddatur: cum enim tollẽtur, morientur, & pervenientes ad Dominum, & præſentia Domini recipient animas, quia cũ Domino mortui eſſe non poſſunt.

Suiſque ipſis corporibus quæ antea habuerunt in vitam reſurgent, quo ad ſubſtantiam, ut jam ex Hiobo eſt probatum, ſed mutatis proprietatibus, jã enim ſunt corpora animalia, ſurgent tunc quidem corpora ipſa, ſed ſpiritualia, habentes proprietates ſpiritus, ac non amplius indigebunt. Cibo, potu nutritione, & ſomno, ſed erunt ſicut Angeli Dei, celeritate, agilitate, & ſubtilitate, eruntque corpora glorioſa, incorruptibilia, & ſpiritualia.

Danielis 12. qui autem docti fuerint fulgerunt quaſi ſplendor firmamenti, & qui ad juſtitiam erudiunt multos, quaſi ſtellæ in perpetuum. Non ergo terrena erunt corpora.

1. Cor. 15. ſeminatur in corruptione, reſurget in incorruptibilitate, ſeminatur in infirmitate, Reſur-

get in virtute, semmatur in ignominia, resurget in gloria, seminatur corpus Animale, Resurget corp⁹ spirituale, manebit tamen ut antea memini corporis substantia, nec mutabitur in spiritum, sed spiritus conditiones, dona, & ornamenta accipiet, abjectis siue depositis imbecillicatibus terreni corporis.

Erunt enim nostra corpora conformia glorioso corpore Christi, qui Resuscitatus de sese dicit, palpate, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut videtis me habere: ideoque ad gloriam referendũ quam nostra habebunt corpora ; quod dicuntur spiritualia, propter spiritus Dei in beatis inhabitationem, qua erit omnia, in omnibus. Philipp.3. Traus figurabit corpus nostrum humile, vt conforme reddat corpori suo gloriose.

Impij quoque resurgent, & erunt illorum quoque corpora incorruptibilia, sed nulla gloria, verũ ignominia afficientur, vasa enim erunt parata in contumeliam, mortem quærent sed mos fugiet ab eis, ut cruciatus sustineant perpetuos.

Quia enim non sola anima impij peccavit, sed in corpore, & per corp⁹, desideria sua perpetravit homo, ideo & totus homo, anima & corpore cruciabitur.

De tempore vero Resurrectionis & juditij, fineque hujus mundi, nemo scit, neque Angeli cœborum, nisi solus Pater cælestis, qui hoc sibi reser-

vavit

vavit suæque potestati, & majestati: sicut Apostolis hoc ipsum sollicitè quærentibus respondit.

Non est vestrum noscе tempora, vel momenta quæ pater posuit in sua potestate.

Et Tessa. 5. porro de temporibus & articulis tẽporum Fratres, non est opus ut vobis scribam, ipsi enim planè scitis, quod dies ille Domini, ut fur in nocte, ita venturus est.

Ex hisce Christi, & Apostoli verbis manifestũ est neminem aliquid certi de fine mundi posse prædicere.

Curiositas igitur humanorum ingeniorũ digna est repræhensione, quæ in Dei penetralia irrepere, ac ea scrutari, ac rimari conatur, quæ scimus Deũ velle nos ignorare, præsertim vero, cum Moises Psal. 90. & Petr⁹ 2. cap. 3. testentur, quod mille anni coram Deo sint. Sicut hesterna dies, quæ jam præterijt, & unus dies apud Dominum esse sicut mille Anni.

Voluitque Deus nos ignorare hoc tempus sui adventus, ut vigilantiores simus, nec securi fiamus quod futurum erat, si certi essemus, illum moram facturum, sumpta similitudine à servis sui domini reditum à nuptijs expectantibus.

Nihil igitur de adventu Domini ad judicium scire possumus. Multi vero inutiliter, & infæliciter, in hoc laborarunt, freti suis inanis calculationib⁹ certos voluerũt cõstituere juditij annos, alij 1550.

alij. 1588. alij 1600. rursum alij. 1612. sed sicut in diebus Nohah ante diluvium, ita erit & adventus filij Dei, porro à Mundi creatione, usque ad diluvij tempus, intercesserunt, anni 1656. ita & à Christi adventu, vel ut alij volunt à Christi Resurrectione, usque ad gloriosum adventum in nubibus, totidem annos futuros putant. Cum tamen Christus ibidem non de numero annorũ, sed de morũ qualitate loquatur.

Alij tot jubilæos Annos faciunt, ab ejus nativitate usque ad reditum ad judicium, quot Christus annis in his terris vixit, nempe triginta tres cũ dimidio, & multiplicatione eorũ annorum cum. 50. quod intervallũ fuit jubilæi pontificij, colligunt annos 1675. plærique tamen omnes, qui in hoc argumento versati sunt, conveniunt, quod in sexto millenārio à condito mundo, futura, sit consumatio ejus, idque partim ex sex dierum numero, quibus est creatus mundus, partim ex dicto quodam domus Heliæ, qui hæc ab Helia dictum affirmant: scilicet sex millibus annorum mundus, sed deerũt dies, qui deerunt.

Signa vero quæ Christus, ejusque prædixerunt Apostoli, præcessura erant, satis indicant diem instare.

Hęc est nostra arthodoxa, & Catholica fides, & indubitata de Resurrectione nostræ carnis spes, proptereaq; non abijcimus nostrorũ mortuorum corpora,

corpora, quæ templa & habitationes sancti spiritus fuerũt, & ad quæ sanctissimæ animæ eorũ, in novissimo die, tãquã ad vetera, & nota hospitia redibũt.

Scimus quoque & plangendos esse mortuos, & honorifice sepoliendos, neq; efferendos, ut porci & Asini.

Neq; lugendum est & dolendũ simulatè, aut ex superstitione, quemadmodum gentes & increduli, qui Deũ nesciunt, neq; spem resurrectionis habẽt, sed lugendum & dolendum est ex charitate, & sicuti Charitas erga proximum Deo placet, sic quoque lachrimæ qui pro proximo ex charitate, & amico profunduntur Deo placent.

Sic Abrahã deflevit suam saram, sic Ioseph patrem Iacobum, sic Dauid Rex Saulem & Ionathã, sic Ecclesia Hierosolomitana Stephanum, quẽ tamen, in Domino obdormivisse certo sciebant.

Quare ut publica honestas, ita & charitas proximi exigit, ut funera proximorum, & amicorum nostrorum, convenientibus lachrimis decoremus.

Estq; hic luctus duplex, primus verus est & naturalis, cujus causæ sunt internæ, alter est adulterinus cujus causæ sunt externæ, mos lugendi mortuos apud pontificios, præsentim in Gallia non est naturalis, sed totus fictitius, videtur quidem quantũ ad externã speciem actinet esse ingentẽ, & ex intimo procedere corde, sed revera lõgè à corde abest. Caretas enim, & preficas, mercede cõductas, populiq;

faces adhibent quarum cælius. lib. 16. meminit, quæ publicos luctus faciunt, eosque deplorãt quos nunquam vel solo nomine noverunt, prætioque lachrimas extorquent: Hæ plangunt, ululant, Capellos vellicant, & ejusmodi multa exteriora ad fingendam tristitiam spuriam, quæ sola nititur aura populari faciunt, quæque artificio ridiculo sustentatur.

Hos commentitios luctus, Solon Philosophus à communi usu planè amovendos censebat, quemadmodum Plutarchus in ipsius vita commemorat. Thraces eam ob causam sapientes existimati sunt, quod suorum infantum nativitates luctibus, funera vero gaudio prosequerentur.

Neque tamen hoc ita accipi velim, non licere homini Christiano, in obitu, parentum, Amicorũ, & agnatorum lugere, nec dolorem aliquem ex illorum disceſsu testari, alioqui inhumani & à feris educati videremur, eamque ob causam solon funeris luctum expetijt, ut elogium illius in catone Majore apud ciceronem testatur, ubi inquit.

Ne mi illugubris veniat mors, sed mihi charis
Mærorem potius adferat, & gemitus.

Constat vero ex Historijs sacris, sanctos deoque gratos homines, luctum & lachrimas, quasi postremum honorem mortuorũ religiosissime coluisse. Cum Iacob Patriarcha, sui filij Iosephi veste, sanguine maculatam vidisset, àque à fera illũ laceratũ

esse

esse credidisset, scissis vestimentis filium luxit omnem consolationem respuens, adeoque gravis fuit luctus ut in sepulchrum ad filium descendere cuperet. Genes. 37.

Post interfectum in prælio Regem Iosiam, tota Iudæa Regem luxit, quinetiā Hieremias propheta carmen lugubre censcripsit. 2. Paralip. cap. 5.

Vniversus popul⁹ judaicus flevit Iudæ? Machabæi mortem, hisce verbis: quomodo cecidit potens, qui salvum faciebat Israel. 1. Machab. cap. 9.

Hisce exemplis constat non omnem luctum damnari, sed decere ut pij suos mortuos defleant, imò ipse Christus Lazari deflet mortē. Iohan. 11.

Verum luctus debet esse moderatus, & à fuco alienus, quare Israelitis, ne in funeribus corpora lacerarent, neque caput decalvarent prohibitum erat. Deut. 14.

Moderatus igitur, & decens luctus Christianorum exequias decorat, tanquam veræ pietatis signum, & scripturę sacræ consentiens.

Quanta cura, & sumptibus Abraham suam sarā sopelijt? emit enim locum sepulturæ aptum, centum thaleris, nostræ monetæ. Genes. 23. Sic Isaac, & Ismael Fratres, patrem suum Abrahanum in eūdem quoque locum sepeliunt. Genes. 25.

Iacob Patriarcha moriturus in Ægipto mandavit filijs suis, ut eo loci sepeliretur quoque, quod & magno cum luctu factum est.

Luct⁹ itaq; cũ naturali affectu temperat⁹ laudabilis, & magna gloria dignus habendus est.

D. Chrisostom⁹: Homel. 16. scribit. Honorẽ mortuorũ nõ esse fletũ, nõ ejulatũ sed hymnos, & psalmos, & optimã vitã, mortuũ vero si in funere universã habuerit civitatẽ nihil tamẽ inde lucraturũ.

Multi vero, ij præsertim de quibus Apostolus Thess. 4. loquitur, qui scilicet resurrectionis spem non habent, adeò suos lugent mortuos, tamque graviter suorũ mortẽ ferunt, ut & ipsi sese in vitæ periculũ sœpe conijciant, imò moriãtur. Huj⁹ rei exemplũ in octavia, Augusti imperatis sorore habem⁹, quæ ex filij Marcelli morte, tãtũ cõcepit dolorẽ, ut omnẽ cõsolationẽ respueret, moreretur q;.

Adrastus cum fœlicer pugnasset, militemq; reduceret Megaræ audivit de filij Ægnalei morte mœrore correpṫ⁹ tanto, ut repẽte mortu⁹ cõcideret.

Recitat Polydorus Virgilius, lib. 19. de rerum inventoribus, Eduardum Angliæ regem, Amisso filio Eduardo, ex gravissimo animi dolore, propter amissum filium, luctuque perijsse.

Multas quoq; conjuges Historię momorãt, quæ ex maritorũ morte, & ipsæ luctu animique dolore sint mortuæ, in quarũ numero Iulia, Iulij Cæsaris filia, pompeij magni conjunx numerari potest.

Item irene imperatris, quemadmodum, cuspinianus scribit.

Quia vero pontificij superstitiosa quadam persua-

persuasione mortuorũ haminũ corpora, circũ tẽpla sepeliunt, tanquam, locis consecratis, atque ut deinde quando illi cum suis idolis extra templum exspaciantur, diebus præsertim dominicis, cũ thuribulis & lustrali aqua monumenia mortuorũ facilius & sæpius illa possint aspergi aqua, locaque illa cimiteria id est dormitoria vocant.

Nobis certè ager Dei iste locus ubicunque sit dicitur, eo, quod Christianorũ corpora, quæ grana sunt Dei, quæ Deus quoq; vificabit & ad vitam æternam resuscitibit, illic condantur ac seminantur, ut præclarè stigelius hiscc versibus indicat.

Quin segetes animæ decus immortale loquuntur
Quæ vivum exangui corpore germen agunt.
Sicca sub inversus conduntur semina glebas,
In quibus effectus dixeris esse nihil.
Hæc tamen artano surgunt crescentia motu,
Et robur tacitis viribus aucta gerunt.
Sic quoq; nostra cavis illata cadanera tumbis
Accipient vivum glorificata decus.
Mersa prius letho, mox vera insignia vità
Ante Deum æternæ tempora lucis agent.

Sed hisce appellationibus fides nostra, de carnis nostræ resurrectione roboratur.

Ideo vero pontificij nos accusant, quod mortuorum corpora tanquã sterquilinia abijciamus, quod ea non illa sacra loca, quæ aqua illa exorcis ata aspersa non sunt sepeliamus.

atqui

Atqui Domini eſt terra, neque ullum ea de re extat præceptum, parumque refert, quo loco (ſi modo honeſtus ſit) ſepulturæ locus deligatur. Neque opus eſt nova, & magica ſacrifici conſecratione, vidit enim Deus omnia quæ fecerat, & erāt valdè bona.

Apparet tamen ex ſacra ſcriptura extra urbes plerumque ſepulturæ loca fuiſſe.

Abraham agrum emit ad ſepulturā vxoris ſuorumque. Geneſ. 23.

Sic lucæ 7. effertur extra porta Naim, adoleſcens, filius viduæ.

Sic Lazarus extra Bathaniam ſepultus fuit Iohan. 11.

Sic Ioſeph ab Arimathia homo diues, ſepulchrū novum ſibi in horto ſuo, extra civitatem excidi curaverat, in quod Chriſtum dominum noſtrum poſuit. Math. 23.

Non igitur noſtri ſunt obiurgandi, multo minꝰ à pontificijs calumniandi, quod peculiaria ſibi loca honeſta extra mænia civitatum eligunt ſepulturæ, ad exemplum populi Dei.

Idque non propterea, quod vita defuncti inde afficiantur ſenſu aliquo, aut ut melius ipſis ſit, quemadmodum papicolæ de ijs qui in loca à ſacrificis incantata ſepeliuntur, ſentiunt. Sed ut ſupra eſt dictum, propter reſurrectionis ſpem.

Quare in hanc ſententiam Rectè ſcribit Augu-

ſtinus de civit. Dei lib. 1. cap. 12. perinde, iſta omnia, ſcilicet curatio funerum, conditio ſepulturæ, pompa exequiarum, magis ſunt vivorum ſolatia, quam mortuorum ſubſidia.

Itaque ritum ſepeliendi mortuos ex Dei verbo, & exemplo piorum habemus, Deus enim Adæ, & poſteritati mortem propter peccatum denuntiat, & forè ut ad puluerem terræ unde deſumptus erat reverteretur, his verbis, puluis eş, & in pulerem revertaris.

Quid vero pontificij, de eorum funeribus, de ſepeliendi modo, & ſacrjficijs in ſepultura ſentiāt, ubi tot lychnos, cæreos, & lampades incendunt, tot fumigationes adhibent, totque cum crucis, & vexillis magna cum pompa peragunt hæc unico exēplo veriſſimo oſtendam.

Accidit vero hæc Hiſtoria, anno Chriſti 1544. in hunc modum.

Princeps quidam germaniæ, totus pontificiæ religioni deditus, ita ut etiam pro ea defendenda, arma induerit, ſuamque totam provinciam, ſeque ipſum prædę exponeret, is inquam princeps, habebat in matrimonio ducis Wirtenbergenſis filiam Mariam, hujus erat in gynecæo puella eleganti forma, ex Miſnia, nobilique familia oriunda, Eva Trottina. Hanc ille princeps cœpit deperire, & cū perſuaſiſſet proles aliquot ex ea procreauit, deinde quo minus res depræhenderetur, & ut diutius ejus fruere-

frueretur consuetudine, dat consilium ei, ut domũ ad parentes velle redire simulet, currum, equos, & quicquid esset ad profectionem necessarium ipse subministrat. Abit illa, cumq; domũ ire putaretur, in quandam illius arcem abducitur. Hujus arcis præfectus jam antè erat edoctus ab eo, quid fieri oporteret. Adhibentur una aut altera muliercula, quibus ille maximè fideret. Eva paucis post dieb⁹, quum eo venisset in lectulũ se componit, & morbum simullat, ille jam ante curaverat fieri.

Simulachrũ ligneũ, quod homiuis mortui cap. atq; pectus repræsentaret: reliquæ partes corporis, erant expressa linteo quodam, id effarciebant mulierculæ, cinere, vel terra, sic ut solidum videretur, post ligneum caput atq; pectus, linteo sic effarcto superimponunt, & accomodant: linteũ vero sic erat formatum ut etiam obduceretur capiti, compositum ergo corpus ad hunc modũ, & obuolutum, humi reponitur, ut in mortuis fieri consuevit, statim ex mulierculis altera venit ante cœnaculum præfecti, nunciat Evam esse mortuam mox ille jubet thecam parari ad reponendum corpus, deterrendi vero causa, ne quis proprius accederet, fingunt interijsse pestilentia, & juniperi granis, alijsq; rebus odoratis faciunt suffitum: postea funus effertur, & cũ põpa deducitur ad Franciscanos, ij cũ humo conditum esset honorifice, suis usitatis precibus atque sacrificijs illud prosequuntur, & Deo com-

commendant, & totum annum deniceps pro concione populum hortantur, ut pro mortua Deum precentur. Mandatu quoque principis, funus ei fit in ejus arcis ubi mortua ferebatur sacello, convocatis illuc ex agro vicino sacrificis: Idem fit in arce primaria illius principis, nam & huc ille præfictus mortem ejus nunciaverat, his autem exequijs aderat principis vxor cum pedissequis, & cœtu virginum, omnes cultu lugubri.

Nenerāt eo vocari multi sacrifici, quibus deinde datū fuit epulū, & singulit aliquid loco mercedis, pro veteri, & inter pōtificios usitata consuetudine.

Interint Eva in arce illa rectissimè valet, cujus mortem adeo multi deploraverant, ubi eam princeps subinde revisit, ab eoque tempora proles septem ex ea sustulit, vxori quoque persuadet ut Evæ parentibus, atque propinquis mortē illius nunciet.

Cum autē illam superesse fama spargeretur, vxor principis, ad quam istud quoq; emanavit, vehementem suspicionem concipit, & è servulis quid esset rei pertunctatur, sed ille, ne quis omnium ad ipsam veniret, ex quo posset aliquid cognosci vetabat. Hoc factum fuit spiræ, ubi ipse princeps aderat, in consessu Cęsaris & principum imperij, anno 1544. habitum, recitatum, atque concessu Cæsaris non aderat cum hæc recitaretur, Historia princeps ipse, sed cancellarius ejus.

Hinc licet scire, atque videre, quid nā pontificij

(qui

(qui orthodoxos ita propter mortuorum ſepulturam traducant,) de illorum Religione, & ſepeliendi conſuetudine, quã ab Iudæis mutuati ſunt, ſentiant.

De vita, & morte æterna.

CAP. X.

FLavinus cap. ſui libri 15. dicit orthodoxos negare Abrahæ ſimum, id eſt, vitam æternã, negare nos quoque purgatorium, quod verũ eſt, deinde illos eſſe Ethnicos, & athæos dicit.

Atqui conſtanter credunt, eſſe & reſtare aliam vitam, beatam & perpetuam, poſt hanc caducam mortalem & ærumnoſam.

Nam hæc vita, revera non eſt vita, ſed calamitas. Hinc Auguſtinus in originali tractans illud Iacobi, vita noſtra quid eſt? Dicit, vita noſtra, eſt vita dubia, vita cœca, vita ærumnoſa, quam humores tumidant, dolores extenuant, ardores exſiccãt, aëra morbidant, eſcæ inflant, jejunia macerant joci diſſoluunt, triſtitiæ conſumunt, ſollicitudo coartat, ſecuritas habetat, divitiæ jactãt, paupertas deijcit, juventus extolit, ſenectus incuruat, infirmitas frangit, mæror deprimit, & poſt hæc omnia mors interimit, univerſis gaudijs finem imponit, ita ut

cum

cum esse desierit homo, non fuisse putatur.

Rectè igitur Hiob. Cap. 14. ait, homo natus de de muliere, brevi vivens tempore, repletur multis miserijs, quasi flos egreditur, & conteritur, ut fugit velut umbra.

Item Hieronimus super Amos lib. 3. dicit, nihil fugacius seculo, rebusque seculi, quas dum tenem⁹ amittimus, & per infantiam, pueritiam juventutẽ, & virilem ac ingravescentem, maturanque ætatẽ, Annosq; ultimos senectutis, & nescientes ad mortis terminos venimus.

Moises quoque psal. 90. ait: Anni nostri sicutî aranea meditabuntur, dies annorum nostrorum septuaginta anni, si autem in potẽtatibus octoginta anni, & amplius labor & dolor.

Item Ambrosius in sermone quadragesimæ, tantis, inquit, malis, hæc vita repleta est, ut comparatione ejus, mortis remedium putetur esse. Nam ideo brevem illam Deus facit, ut molestiæ ejus, quæ prosperitate, vinci vel tolli non potest, temporis exiguitate finiretur.

Pij qui in hac vita multa bona fecerunt, & plurima perpessi sunt, præmiaque laboribus suis condigna hic non reportarunt. Nec mali, suis peccatis & sceleribus dignas pœnas acceperunt.

Aliam igitur vitam restare necesse, est in qua boni prẽmia suorum benefactorum, & in vera fide laborum ornentur.

Mali vero pœnis meritis afficiantur, cum neutrum in hac vita fiat, reservantur enim potissima præmia & pænæ in alteram vitam.

Testimonia vero hujus æternæ & beatæ vitæ, in veteri, & in novo testamẽto multa extant, ut. Esa. 65. Ecce ego creo novos cœlos, & novam terrã, & nõ erunt in memoria priora. Dan. 12. Qui dormiunt in puluere terræ, evigilabunt, alij in vitam æternam, alij in opprobrium, ut videant semper.

Math. 25. ibunt justi in vitam æternam, Iohan. 10. Ego vitam æternam do eis 1. Iohan. 2. Hæc est repromissio, quam ipse pollicitus est nobis, vitam æternam.

Quid autẽ illa in futurũ sit, ocul⁹ nõ vidit, auris nõ audiuit, nec super cor hominis ascẽdit, ideo etsi dicatur aliquid de illa, tamẽ semper minus dicitur.

Et Augustinus de symb. lib. 3. facilius possumus dicere, quid in vita æterna non sit, quã quid ibi sit. Non est ibi mors, non luctus, nõ lassitudo, non infirmitas, nõ fames, neque sitis, nullus dolor, nulla corruptio. Nã in caligine huj⁹ miseræ vitæ, & tenebris mentis humanæ, nec tacitis quidẽ cogitationibus possumus assequi, quæ sint æternę vitæ gaudia, loquamur vero cum scriptura sacra, in qua quantũ Deus voluit nos scire, & nobis conducit est revelatũ: Sed perfecta hujus rei cognirio in alterã vitam reservatur. Nondũ enim apparuit quod futuri simus, cũ autẽ apparverit, videbimus eum à facie ad

faciem,

faciem, ſicuti eſt, & cognoſcemus ſicuti cogniti ſumus. 1. Cor. 13.

Erit autẽ ſumma fœlicitas cognitio Dei, ut Iohã 17. ſcriptum eſt, hæc nimirũ eſt vita ęterna, ut cognoſcant te ſolum verũ Deũ, & quẽ miſiſti Iheſum Chriſtũ, & ut patres locuti ſunt viſio Dei, qui erit omnia in omnib⁹, quę perfectio dicitur participatio divinæ naturæ, ſapientia, juſtitia, & imago Dei reſtituta, gaudiũ perpetuum tale, in quo Deus ab æterno, & poſtea cũ ſanctis Angelis, qui perpetuo vident faciẽ ejus, vixit, vivit, & ſpiritum ſanctum in electis excitabit, eoſque ita perfundet, ut de re nulla alia ſint cogitaturi.

Huc accedet & corporũ glorificatio, quæ reddet humilia corpora noſtra, ſimilia corpori glorioſo Chriſti, ac lucebunt ſanctorum corpora, ſicut ſplẽdor firmanenti, eruntque ſicut Angeli Dei.

Et ita Deus ſuam gratiam erga electos oſtendet, fructuſq; paſſionis ſui filij, ipſo opere, & facto oſtẽdetur, ut homo eitam ingentia, & ſumma Dei beneficia, in vita æterna perfectè cognita, verę etiam celebret: Et Deus pijs compenſet labores, & ærũnas, quas in hac vita ſunt perpeſſi, illic enim abſterget omnes lachrimas ab oculis eorum.

Hæc omnia, orthodoxi Catholici credũt, nihilq; certi⁹ habẽt, licet vociferetur Flavin⁹, cũq; illo Romani Catholici, orthodoxos (quos Zvvinglianos nominat) atheos, & Ethnicos eſſe. De inferno autẽ

credunt, esse locum ubi damnatorum animæ, & corpora, suorum peccatorum pœnas perpetuo luant, quemadmodum sacræ scripturæ locis id probatur.

Denterono 32. ignis succẽsus est in furore meo, & ardebit usque ad inferni novissima.

Psal. 10. pluet super peccatores ignis, sulphur, & spiritus procellarum, pars calicis eorum.

Esai. 66. ignis eorum non extinguetur, & vermis eorum non morietur.

Sed Novi testamẽti Testimonia clariora sunt, vt, Mathæi 5. qui dixerit Fratri suo fatue, reus erit gehenne ignis.

Ibidem dicit Christus, cap. 13. mittent, illos in caminum ignis, ibi erit fletus & stridor dentium.

Ibidem, cap. 25. ite maledicti in ignem æternũ qui paratus est diabolo & Angelis ejus.

Augustinus de Genesi ad literam. lib. 12. ca. 32. scribit, est igitur prorsus inferorum substantia, sed etiam spiritualem esse arbitror, non corporalem Flavinus, omnesq; pontificij dicunt, infernus pro loco supplicij quadrupliciter accipi, vnum & primum esse damnatorum locum, eorum qui ad perpetuos cruciatus sunt damnati huncq; in imis terræ recessibus esse.

Supra hunc esse limbum puerorum non baptizatorum, & esse locum, ubi sit pœna damni non sensus. Supra hunc esse purgatorium, supremũ esse

limbum

limbum sanctorum Patrum, ad quem Christus descenderit, pingiturq; hunc locum expugnasse, cum cruce & vexillo, sed hæ nugæ, ut ab hominibus superstitiosis & otiosis sunt confictæ, ita refutatione sunt indignæ.

Flavinus quoque in monte Æthna in sicilia, & in Hecla, in Islandia infernum esse dicit hujus autē ipsius figmento, præsertim de Hecla supra respōdi.

Verum ubi damnatorum locus sit futurus, non Christus nec Apostoli ejus, nec uspiam sacræ literę tradiderunt. Nec tamen existimemus nullum esse locum, damnatorum, etiamsi illius ubi sit, nulla fiat mentio.

Lactāt. fir. lib. 7. diuina. Insti. ca. 21. de inferno, & pœna inferni, scribit primum igitur dicimus, tātam esse Dei potestatem, ut etiam incorporalia cōpræhendat, & quemadmodum voluerit afficiat. Nam & Angeli Deum metuunt, quia ab eo castigari possunt, inenatrabili modo quodam & dęmones refermidant Deum, quia torquentur ab eo, & puniuntur.

Quid ergo mirum, si cum sint immortales animæ, tamen patibiles sunt Deo. Nam cum in se nihil habeant solidum, & contrectabile, à Solidis & contrectabilibus, aut corporalibus nullam vim pati possunt, sed quia in solis spiritibus vivunt à solo Deo tractabiles sunt.

Sed tamen nos docent sacræ literæ, quemad-

modum nos pœnas impij ſunt laturi, nam quia peccata in corporibus contraxerunt, rurſus carne induentur ut in corporibus piaculum ſoluant.

Attamen illà ipſa caro erit inſolubilis, ac ſempiterna ut ſufficere poſſit igne ſempiterno, & cruciatibus, cujus natura eſt diverſa ab hoc igne, quo ad vitæ neceſſaria utimur: qui niſi alterius materiæ fomite alatur extinguitur. At ille per ſeipſum ſemper vivit, & viget ſine ullis alimentis.

Hugo lib. 4. de Anima ait. Infernus eſt lacus, ſine menſura, plenus ardore incomparabili, plenus fætore intollerabili, ibi miſeria, ibi tenebræ, ibi ordo nullus, ibi horror æternus, ibi nulla ſpes boni, nulla deſperatio mali.

Iſidor⁹ de meditatione Gehennæ ſupplico: Duplex inquit damnatorum pœna eſt in Gehenna, nam & mentem urit triſtitia, & corpus flamma.

Gregorius lib. 20. Moralium.

Gehennæ ignis cum ſit corporeus, ut in ſe miſſos reprobos exurat, nec ſtudio humano ſuccenditur, nec lignis nutritur, ſed creatus ſemel durat inextinguibilis.

Gregorius lib. 9. Moralium Dialogo. 4.

Sicut in domo Patris, mãſiones ſunt multæ pro diverſitate virtutum, ſic damnatos diverſis ſupplicijs gehennæ ignibus ſubijcit diverſitas criminis, quæ gehenna quamuis una ſit cunctis, non tamen cunctos una eademque qualitate ſuccendit.

Sed

Sed Augustinus, de Genesi ad literam dicit Melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis, igitur ubi futurus sit ille locus non oporter nos sollicitos esse, sed demus operam ; nostra pietate, ut caveamus ne aliquando ubi sit experiamur.

Pij vero, etsi interdum inferni pœnis anguntur, propter peccatum inhærens in natura. Tamen filius Dei, Dominus noster Ihesus Christus, crucifixus pro nobis & mortuus, ac sedens ad dexteram Patris, auxilium & liberationem, suis pijs apud Iohannem cap. 5. proposuit, ubi inquit : Nemo rapiet oves meas ex manibus meis.

Hæc sententia sæpe multos erigit, & tanquã ex inferno retraxit.

Omnibus quidem ętatibus sapientissimi homines deploraverunt magnitudinem calamitatũ in genere humano, quas oculis cernimus, antequã ad ad illam æternitatẽ transitur: ut sunt morbi, mors, inopiæ, errores nostri quibus accersimꝰ damna, & pœnas in hac vita. Item inimici, perfidiæ conjunctissimorum, exilia, infamiæ, orbitates, miseriæ sobolis, discordiæ privatæ & publicæ, bella, cædes, vastationes. Et hęc cum promiscuè bonis & malis accidere videãtur, multi sapientes quæsiverunt an sit providentia, an vero sine consilio Dei omnia casu ferantur. Sed nos in Ecclesia Dei scimus causam ærumnarum primam & principalem esse, quod homo propter peccatum morti & alijs calamitatibus

subjectus est : quæ quidem mala in Ecclesia sunt atrociores, quia diabolus odio Dei horrendum latrocinium in Ecclesia Dei exercet, & eam funditus destre conatur.

Nec frustra patefecit nobis Deus causas nostrarũ calamitatum, vult & ipsarum miseriarum magnitudinem aspici, & causas intelligi, & agnosci justissimam iram adversus peccata, ut è regione & redemptorem & magnitudinẽ misericordiæ agnoscamus, & his suis concionibus addit testimonia, resuscitationem mortuorũ, & alia miracula.

Procul igitur ex mentibus eyciciantur prophanę opiniones, quæ fingunt, casu aut physicis tantũ causis accidere nobis mala.

Magna in omnibus hominibus caligo est, etiam in mediocribus: non cernimus quantum malum sit peccatum, nec nos ipsos adeò flagitiosè contaminatos esse judicam⁹, nobis ipsis blandimur, pręsertim quia doctrina de Deo puriorẽ profitemur. Interea securi stertimus, indulgemus alij alijs cupiditatibus, non adficimur dolore propter nostram immunditiem, propter Ecclesiæ morbos, propter fratrum ærumnas, non ardet invocatio friget cura discendi, & regendæ disciplinæ: neque pauca sunt tua & mea peccata, & plurimorũ aliorum, propter quæ nobis pænæ cumulantur.

Flectamus igitur animos ad pænitentiam, & intueamur filium Dei, quem certissimum est mirando con-

do consilio divinitatis propositum esse generi humano ut sit custos Ecclesiæ suæ.

Nec miserias nostras, nec pericula, nec sævitiam hostium, nisi post tristtissimos eventus satis cernimus: Sed tamen ita cogitemus, necesse est, magnas esse calamitates, & horrēdā potentiā, & rabiē hostium, cū tantus custos nobis sit datus, scilicet filius Dei. Hic cū dicat. Nemo rapiet oves meas ex manib9 meis: significat se nō otiosū esse spectatorē nostrarū miseriarū, incēdit diabol9 aliqua sua organa, ut distrahant Ecclesiam, & societatem politiam, ut sequantur infinitæ confusiones, & deinde vastitas Ethnica: Nunc vero omnium animi nova sollicitudine, & nove dolore, propter bellum vicinū excruciantur, deq; Ecclesia Dei sunt solliciti, sed filius Dei quasi in manibus retinens cœtum piorum in ijs locis, sua immensa potentia depellet diabolos, & tandem in tartaro de quo jam diximus horrendis supplicijs adficiet.

Hanc cōsolationem, de communi Ecclesiæ cœtu, & de nobis ipsis, singuli teneamus.

Cum in hoc bello, conflagrare, & ruere Ecclesias videas, intuearis filium Dei stantē in arcano cōsilio divinitatis & protegentē sua agmina, & velut manibus gestantē infirmas oviculas. Ab hoc statuas te quoque protegi ac servari.

Quidam vero non rectè instituti dicunt. Optarim & me tanto custodi curæ esse, sed suas oves ille

 tuetur.

tuetur. Ego an huic gregi annumerãd' sim, nescio?

Huic dubitationi, quæ ex periculosa de prædestinatione Dei disputatione oritur, constantissime repugnandum est. Nam ipse Dominus, in eadem concione adfirmat, nominari oves quotquot audiunt, & fide amplectuntur Evangelium, sicut & Iohan. 14. expresse dicit, si quis diligit me, sermonẽ meum servabit, & Pater meus diliget eum: & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciem'; his immotis promissionibus filij Dei adsentiri necesse est. Nec te ipse ex hoc fœlici grege tua dubitatione excludito, non recte discernunt legem & Evangelium, qui cogitant se non esse oues Dei, quia sint indigni. Imò hæc consolatio proposita est, nos vere propter filium Dei gratis recipi, non propter dignitatem nostram, sola fide, procul enim à perfectione legis absumus, & promissio universalis est, ut inquit filius Dei: Venite ad me OMNES, qui laboratis & onerati estis, & ego reficiam vos.

Sæverissimè præcipit Æternus Pater, audiri filium: & omnium scelerum atrocissimum est, aspernari filium, nec adsentiri ejus voci, hæc omnibus sępe multumq; sunt cogitanda, & acquiescendum est in voluntate Dei, quam filius pacefecit.

Etiamsi in hoc vicino bello, & tumultu, multa tristia exẽpla, & spectacula occurrunt, tamẽ pij nõ frangãtur desperatione: sed sciant se habete custodem,

dem, & defensorem filium Dei, qui non Ecclesiā, non te, non tuam domesticam Eclesiam, ex manibus suis ullo diaboli furore rapi patietur.

Aliam firmam consolationem in hoc tumultu nullam video alij alias spes habent, & alia pręsidia humana quærunt: quæ qualia cunque erunt, tamē hæc consolatio rectior, & haud dubiè efficatior est, confugere ad filium Dei, & ab ipso petere, & expectare auxilium & liberationem.

Nec erunt irrita hæc vota. Ideò enim tāta mole periculorum onerati sumus, ut cum inextricabilia humanis consilijs accidunt, agnoscamus immensam Dei & bonitatem, & præsentiā, qui propter filium, & per filium nobis opitulatur.

Vult se Deus conspici in talibus liberationib⁹, sicut in liberatione primorū parentū, qui post lapsum, cū ab omnibus creaturis essent deserti, tantū Divina ope sunt restituti. Ita servata est familia Nohæ in diluvio. Ita servati sunt Israelitæ, stantes inter undarum montes in Mari rubro. Hæc illustria exempla proposita sunt, ut hoc modo sæpe Ecclesiam sine ulla creaturarū ope servari sciamus.

Et multi in proprijs periculis tales liberationes Divinas omnibus temporibus experiuntur, ut David psalm. 27. inquit Pater & Mater dereliquerunt me, Dominus autem suscepit me, & alibi inquit psalmus, liberauit pauperem, cui non erat adiutor.

Vt autē hæc tanta bona experiamur, prius fidē,

& invocationem in nobis accendi oportet, sit & exercenda fides, ut ante liberationem; & petat, & expectet auxilium, & quadam animi tranquillitatē acquiescat in Deo, nec tristi fremitu hæreat in corde perpetua diffidentia, semper vero sit, in conspectu hæc admonitio: pax Dei superans omnē sensum, custodiat corda vestra, id est, sic acquiescite in Deo inter pericula, ut animi cōfirmati fiducia misericordiæ & præsentiæ Dei, placidè expectēt auxilium & liberationem, & retineant tranquillitatē, quæ initium est vitæ æternę, & sine qua non potest esse invocatio.

Profecto hæc tempora non concedunt nobis usitatam securitatem: sed postulant, ut veris gemitibus petamus auxilium, sicut dominus in quit, vigilate, & orate, Animæ pereunt cum Epicurea securitate, contra vero pij qui fide & invocatione animos erigunt, & ad Deum accedūt, retinent imita vitæ æternæ hic, & durabit in secula, Amen.



Magnificat decantatum ab Henrico quarto Galliarum & Navarræ rege, pro victoria obtenta. 4. Martij Anno 90.

TOta anima extollat Dominum mea laudibus æquis,
Inq́ꝫ Deo exultet, ſpiritus ille meus.
Namq́ꝫ potens iuſtum cœlo reſpexit ab alto:
Hinc me fælicem poſtera ſæcla canent.
Magna mihi ſoli divina potentia fecit
Atq́ꝫ manu valida forte peregit opus.
Qui mihi conceſsit victricia ſigna Iehova,
Huius in æternum nomen honoſq́ꝫ vigent.
Ecce fuit tandem Deus ipſe miſertus eorum
Qui ſacra conſtanti juſſa timore colunt.
Mente ſui cordis diſperſit is agmina papæ.
Regis & Hiſpani peſtiferæq́ꝫ ligæ.
Ex alta ſubito deiecit ſede potentes
Ac ope proſtratos lentus ad aſtra tulit.
Pro bonitate ſua Gallos ſuſcepit alumnos,
Et Guiſios vacua iuſsit abire manu.
Promiſſum auxlium memori cum mente revoluit
Gallia tunc regem cæpit habere ſuum.
Sicut & Henrico, vel qui naſcentur ab illo
Regibus, & ſanctis ante locutus erat.




Errata corrigenda, ut legas ita prior munerus folium, alter faciem : tertius lineam designant.

2.2.massa.ibidem inebriata. 3. 2. 2. effictis. 82. vlt. cuiquam, 9.1.10. aut vi. 10.2.27.dicendum. 11.1.3 nosmetiphos. 13.2.4. Tyrannide. 14. 1. vlt. videbatur. 16. 1. 5. meditatione.ibidem fremant. 23.2.6. Monachos. 35.2.9. redimere. 36.1.11.dele non.ibidem. Iudæis. 37.2. 27. azymos 41.1.2.quorundam.42.1 1.statim. ibidem.2. siccatis. 44.2.2.quidem.ibidem.19.Græci. 46.2.8. prelientur. 53.1.21.abnepos.56.1.1.pertinet.62.2.11. cruciatus 63.2.21.cupiditati.65.1.spectaculum.66.1.15.quid. 68. 2.23.vitij.ibidem tutum 70. 1. 2. frequentarit. 76. 1.25. attinet.ibidem.2.1.fæces 77.2.18.cap 9.lib.7. 78.2.10. portam. 80. 1.9.venerant ibidem. 15.tempore.


Hæc in Epistola.

3.13.vitarent.ibidem 9.fecit.ibidem.11.dele. e. 4. 2.9. secula.6.2.14.horrendæ.8.2. verbum vltimum, lege, juditio.

In Carminibus 1. 11.tempore 1.16.puppi.in 3. 2. cui. 15.velles.21:tartarcus.46.Euge.49.stramineas.



2ars 1870. coll-complet. 15.[c] =





ne ferme
té, à sça-
de Iesus-
oit com-
est onne-
fers; bien
our tous
lise; afin
ssi glori-
celeste)
recom-
uisse en-
milieu de
té, auec
, & que
ceuez le
a son re-
)En lieu
a vie de
ie par la
iour du
er. Ainsi
ieu, en
ne & iu-
stre re-
a priere

mars 1870. coll. complet. 15f.

uec ce pauure
int rigoureux
on qu'il a bien
r debonnaire)
corde sur luy;
nfant racheté
sang de Iesus-
z luy grace &
euoir douce-
,& icelle por-
aisible,se souf-
à la beneuo-

isses, & soyez
ntre le danger
sa conscience
s & couuerts;
) mettez luy à
assion & le sa-
du Monde, &
lelles; lequel a
irmitez & foi-
e mort, estant
nous lauer e
mission de no
accomplir no
rir la porte
tous ceux q

D. 27 mars 1870. coll.-complet. 15f.=